UNIVER T

Digitized by Google

PAULI VOET,

Jur. in Acad. Ultraj. Anteceſſoris, & Vianenſ. Cameræ Senat.

JURISPRUDENTIA SACRA,

Inſtitutâ

Juris Cæſarei cum Divino, conſuetudinario, atque Canonico, in multis, collatione.



AMSTELODAMI,
Ex Officina JOHANNIS JANSSONII à WAESBERGE,
Anno cIↃ IↃ c Lxii.

GRAVISSIMO THEOLOGO,

Academiæ, & Eccleſiæ Trajectinæ Profeſſori ac Paſtori, Parenti Venerando,

GISBERTO VOETIO,

Eccleſiaſtæ Egregio, Fratri percharo,

NICOLAO VOETIO.

PAULUS VOET. S. P. D.

VT animum meum intendebam in Romanæ Juriſprudentię partes, ei potiſſimum obverſabatur illa, quę jus publicum conſiderat ſacratum. Cujus in noſtro corpore, prę́ſertim libris primoribus Codicis Juſtinianæi non contemnendæ difficultates occurrebant. Quas cum in certum ordinem redegiſſem, etiam pro ingenii mei viribus explicaſſem, prælo ſubjiciendas cenſebam. Non aliam equidem ob cauſam,

 quam

ADDENDA.

Ad paginam 268.

Nam ſacrilegium committitur, vel quando quis ſacra temerè attrectat, vel ſibi ea uſurpat, quæ Deo ſunt dicata, vel debita voti causâ, aut anathematis. *Anton. Matthæus de Crimin.* 47. *tit.* 1. *cap.* 3. *n.*6. *in med. pag.*79. quem vide.

Ad paginam 273. *regul.* 12.

Prophanationem, id eſt, in alium uſum, applicationem, quam Deus voluit. Maximè ſi quis ea velit in ſuum proprium commodum, in ſuum uſum privatum, vulgarem, communem applicata.

Ad paginam 404.

Vide *Althuſ.* 2. *Dicaj.* 23. *n.* 30. *Zoeſ. D. de pœnis n.*21.

JU-

JURISPRUDENTIÆ SACRÆ,

CAPUT PRIMUM.

SECTIO PRIMA.

1. *Religio omnibus ingenita.*
2. *Jura ſacrorum publica negliguntur.*
3. *Sacer Codex omnium norma.*
4. *Methodus authoris proponitur.*

1. NUllam gentem adeo barbaram, aut efferatam, omnique conſcientiæ lumine deſtitutam reperire licet, quæ non aliquâ ſeu veræ religionis ſeu depravatę ſuperſtitionis, cura tangatur. Quod in tantum verum eſt, ut in omni humana ſocietate, nullâ exceptâ, propalam, adhibitis quibuſdam ritibus Deus colatur, aut quod ibidem in vicem Dei veri aſſumptum eſt. Aliquem enim ſenſum numinis, aliqualem ejuſdem numinis cultum, &

juris naturæ, & gentium primævi dictamen ſatis ſuperque inter omnes mortales ſuadet; ut ejus contemplatione ex dicto Paulino reddantur, ἀναπολόγητοι, id eſt inexcuſabiles. *Rom. cap.* 1. *verſ.* 19. 20. *l.* 1. §. 4. *l.* 2. *D. de Juſtito & Jur. Ego in mea Theol. Natur. reform.* Quæ ipſa ratio eſt, quod ſecundum jus Romanum antiquum, tanta circa religionem fuerit ſollicitudo, ut peculiares divino cultui tabulas aſſignaverit. In quibus leges variè conſpiciuntur circa publica ſacra, quæ in ſacerdotibus, aliisque negotiis conſiſtunt, ſancitæ. *l.* 1. *in fin. D. de juſt. & jur.* Et certe, antiqui illi legiſlatores, non minorem eorum, quæ ſpectant modum colendi Deum, habuere curam, licet vano errore decepti, quam quæ totius reipublicæ regimen & adminiſtrationem reſpiciunt. Non ignari erant ſine divini numinis auſpiciis, ope, conſilio, honore, nihil rite, nihil providenter geri. Et contempto ſummo numine ſalvam atq;

incolu-

incolumem non eſſe ſperandam rempublicam; verum ejuſdem everſionem juſto Dei judicio certo certius ſubſequuturam. *Plinius Secundus, in Princ. Panegyrici, Trajano dicti.* Quamobrem etiam Romani collegium Pontificum & Augurale magnâ cum veneratione, admixtis ritibus variis, ſolemniter inſtituerunt. *l. 2. §. Omnium horum. D. de orig. jur.* Et quemadmodum Romulus, gentis illius conditor, potiſſimum jus publicum humanum introduxit, ita Numa Pompilius jus publicum divinum fuſe pertractavit. Quod communi dicto fecit locum; aliquem eſſe vel ipſo Numa ſuperſtitioſiorem. Quin immo ipſa, quam profitemur, Juriſprudentia, definitur, quod ſit: *Divinarum, atque humanarum rerum notitia, juſti atque injuſti ſcientia. §. 2. Inſtit. de Juſt. & jur. l. 10. §. 2. D. Eod.* Quaſi non intellecto jure divino, manca, ac mutilis ſit futura ejus cognitio, qui unquam juris ſtudio operam eſt daturus. Ut ſi legiſlatorem

 deceat

deceat eſſe divini atque humani juris peritum, quod de Dracone aſſerit *Gell.* 11. *c.* 18. Juriſconſultum equidem oporteat, non minus ſacrorum quàm prophanorum ſcientiam profiteri. Id quod de Attejo Capitone in ejuſdem laudem prę terire noluit *Tacit. Annal.* 3. Nec enim decens ſatis erat, jus civile tractantibus atque profitentibus, aliquam ejus portionem ignorare. *l.* 2. §. 13. *D. Origin. Jur.* Vir *Ampliſs. Graſwinckelius in libello de Pral. juſt. & jur. adverſus P. Rebellum luſitarum p.* 225.

2. Quo magis liceat mirari, hanc juris civilis partem, quę ſacra publica conſiderat, vel negligi, vel contemni. Cum tamen multæ ſint & conceptæ, & proditæ Chriſtianorum Principum conſtitutiones, divini ſeu ſacri juris tuendi gratiâ adinventæ. Quæ Codicis noſtri Juſtinianęi non minimā portionem conſtituunt. Quapropter non præter inſtitutum, cui præpoſitus ſum, me facturum exiſtumavi, ſi illius juris aliquod ſpecimen

cimen ſeu epitomen, publici juris facerem; adeoque dum inter Belgas Juriſconſultos, ſilent omnes, aliquid in commune bonum proferrem. Quod veluti in tabellâ compendiū, ſeu breviarium Eccleſiaſticæ Politię ex jure noſtro deſumptæ, exhiberet. Sic enim alios, quibus forte in poſterum hoc uberius pertractare fuerit viſum, laudabili æmulatione provocabo, ſaltem ulterius meditandi occaſionem ſuppeditabo. Neque exiſtumandum eſt, contemnendum illius eſſe conatum qui ſollicitè rimatur, quid jus Romanum, pręſertim quod Chriſtianorum Imperatorum conſtitutionibus variis, ac multiplicibus comprehenſum, religionis contemplatione dictaverit.

3. Præſertim, ſi jus Sacrum Juſtinianæum, cum jure Scripturario, normâ juriſprudentiæ infallibili in pleriſque collatum voluerit. Cum enim inter omnes artes & diſciplinas ſit quępiam affinitatis ratio; ea maxime reperietur inter Theolo-

giæ ſacra,atq; dictata juriſprudentiæ. *Alberic. de Nupt.* 1. *c.* 14. *p.* 58. Ut deceat virum juriſconſultum etiam legum & juſſionum divinarum, ſacro Codice contentarum, non vilem habere cognitionem.

Neque enim in veteri teſtamento, Levitis tantum commendata atque propoſita fuit divinæ legis inveſtigatio, ſed & judicibus populi atque jureconſultis. Scripſit enim Moſes legem, deditq; eam Levitis, & cunctis ſenioribus Iſraëlis. *Deut. c.* 31. *verſ.* 25. *& ſeqq.* Etiam benedictus noſter Salvator in cujus pectore quicquid eſt juris divini atque humani, veluti in ſacrario reconditum erat, nonnunquam ad legis magiſtros, ad Nicodemum, conſilii aſſeſſorem, tanquam ad peritos ſcripturarum, verba fecit. *Johan. c.* 3. *in init. & c.* 7. *verſ.* 48. *& ſeqq.* Ut ſi Theologi etiam ſecundæ tabulæ legis notitiam profiteantur, non oporteat juriſconſultos adeo primæ tabulæ, quæ de Deo, de fide catholicâ, de cultu divino,

no, deque ſacratis rebus atq; ritibus, agit, eſſe imperitos. Quoniam illa omnia ad publici ſtatus diſciplinam atque ſalutem multum conferunt. *Alberic. de Nupt. libr.* 1. *c.* 12. *& c.* 15.

Accedit quod ante omnia jus ſacrum ſeu divinum à Deo ſit petendum, ejuſque accurata cognitio è ſacro haurienda Codice. Suam quippe voluntatem Deus in ſuo verbo nobis Chriſtianis accurate patefecit. Quod fides ſit ex auditu, & auditus per verbum Dei. *Rom. c.* 10. *verſ.* 17. Unde etiam non magis eæ conſtitutiones, quæ rectum Dei cultum & verum Dei ſenſum complectuntur, imperatoriæ ſunt dicendæ licet libris Juſtinianæis contineantur, quam jus naturale aut gentium civile eſt appellandum; quod ejus variæ notitiæ in corpus civile ſint relatæ. Ut non alio ſenſu, jus civile, ſacrum, hâc noſtrâ ſacrâ contentum juriſprudentiâ, ſit dicendum, quam jus naturale ac gentium, jus eſt appellandum civitatis, quod forte in

civitatem ſit receptum, vel quod eo civitas utatur. Quod ut utrumque approbatione, & uſu factum eſt jus civitatis, ita etiam jus ſacrum ſeu divinum auctoritate civile, factum eſſe dicatur. Maxime, ſi verum, quod equidem veriſſimum eſt, nos ea noſtra facere, quibus noſtram accommodamus auctoritatem. §. *pen. Inſtit. Procem.* §. 2. *verb. ſic enim Inſtit. Jure Natur. Gent. Civil.* §. 1. *Inſtit. de Obligat. l.* 3. *D. Auctor. Tutor. l. unic. Cod. famoſ. libell. Alberic. de libris jur. canonici. c.* 2. *p.* 7. *Barboſ. Axiom. juris. verb. noſtra. p.* 246.

Atque hoc ipſum me movit potiſſimum, ut jus ſacrum Juſtinianæum, cum jure ſcripturario, adjunctis nonnunquam canonibus è patrum ſcriptis deſumptis, etiam moribus in medium prolatis, conferrē. Omnes quippe civiles conſtitutiones potiſſimū ad jus divinū infallibile examinare conveniens erat: quo de earundē veritate, juſtitiâ, & ęquitate etiam ſi forte nonnunquam minus limatę,

de

de earundem imperfectione, conſtare poſſit. Adeoque hinc colligi, nihil eſſe juris humani, quod non aliquâ conſperſum ſit labe. Solum Dei verbum, divini ſpiritus afflatu per Prophetas nobis per manus traditum, ab omni omnino vitio impuritatis eſſe repurgatum. Unum in eccleſiâ, circa ſacra, circa ſacrorum ritus, audiendum eſſe legiſlatorem; qui ſolus poteſt ſervare & perdere; unum eccleſiæ doctorem, unum magiſtrum. *Matth. c.* 23. Aliam in negotiis eccleſiaſticis vocem, præter hujus unius, nec Deum agnoſcere, neque nos ipſos agnoſcere debere. *Matth. c.* 17. Adeoque mandandi citra cujuſquam reprehenſionem poteſtatem omnem, huic uni datam, huic ſoli concreditam eſſe. *Matth. c.* 28. *Joh. c.* 17. Virorum Principum juſſa, qui Dei vicem in terris obtinent, in quantum divinis juſſionibus conſona ſunt, recipienda eſſe omnino. Tumque demum rata habenda cum de negotio ad Deum pertinen-

te, ex voluntate & verbo Dei, idem, ſaltem non contrarium conſtiterit. *l.* 1. *Cod vet. jur. Enucl.* In quantum vero aliquid in adverſum ſuadent, nec juri divino congruum, à quo omnis decreti, vel reſcripti vel edicti pendet auctoritas; id ipſum ut hominum commentum, in tantum non eſſe recipiendum, ut etiam ſit prorſus rejiciendum. *Jeſai. c.* 29. *Matth. c.* 15. Quæ ſententia, adeo omnibus Chriſtianis æqua, & rationabilis fuit viſa, ut ipſi Imperatores Chriſtiani, in omni eccleſiæ regimine, in doctrinâ fidei, in praxi & exercitio pietatis, eam ſibi habuerint propoſitam.

Cum enim jura permulta viri Principes condiderint circa ſacra, omnia ſua eccleſiaſticis canonibus, potiſſimum libris juris divini, tanquam fidei, & morum normæ infallibili à quibus ſuas legiſlationes pendere fatebantur, lubentes ſummiſerunt. Ex *Novell.* 109. *in init. Plurimus namque eſt iſtorum librorum cho-*

rus

rus ſacer, & poſſibile eſt unicuique animum corrigere, atque rigare ſacris ſcripturis; quas ſi frequenter legent, nunquam decipientur, nec ad humanas deſcendent ſolitudines. Sunt verba (cedro digna) Juſtiniani Imperatoris in *Nov.* 133. *cap.* 2. idque congruenter dicto Paulino. 2 *Timoth. cap.* 3. *verſ.* 15. *& ſeqq.* Ut & ſecundum eorum librorum præſcriptum, (etiam recte tranſlatorum,) vitam, & ſtudia noſtra inſtituere, & formare deceat, ſuadente eodem imperatore. *Novell.* 146. Non tam litteris inhærendo, aut cortici verborum, quam ſacratiorem ſenſum medullitus percipiendo: quod jura noviſſe, non ſit verba tenere, ſed eorum vim ac poteſtatem. *d. Nov.* 146. *leg.* 17. *D. de legibus. Rittershuſ. ad Nov. part.* 1. *cap.* 1.

Quinimo licet canonibus, atque conſuetudinibus Eccleſiaſticis in rebus eccleſiæ non vilis tribuenda ſit authoritas *artic. ult. ordin. Eccleſ. Dordrac. de ann.* 1618. 1619. Et imperatores Chriſtiani eas omni juri præ-

ferre videantur, etiam ſcripturis ſacris æquiparare. *nov.* 131. Non tamen illæ unquam tantùm habituræ ſunt momenti, ut vincant rationem, aut divinam legem. Conciliis enim credimus propter Sacram Scripturam, ad quam tanquam nautę ad cynoſuram reſpiciunt. *c.* 7. 8. 9. *diſt.* 11. *& c.* 1. *diſt.* 12. *Tholoſ. Partit. jur. canon. libr.* 1. *tit.* 2. *c.* 4. Et fidem adhibemus, conſuetudinibus, regulisque eccleſiaſticis, in quantum divini juris veſtigia per omnia ſequuntur, *Ordin. Eccleſ. de ann.* 1618. 1619. *artic.* 31. ſaltem iiſdem non adverſantur. *vid dd. diſtinct.* 11. 12. Quapropter ſcriptoribus in primitiva Eccleſia in more poſitum, ut ad ſacras ſcripturas ante omnia recurrendum eſſe cenſerent. *Gregor. Moral.* 19. *cap.* 17. *Auguſt. contra epiſt. Petil. lib.* 3. *c.* 6. *Baſilius Epiſt. Euſtat. Medico*, 74. *aliis* 80. *& Moral. reg.* 26. *Theod. Groen Epiſtola ad Jeſuitam Godefridum wandelman c.* 3. *pag.* 102. 103. Ut imperatorum dicta eo facientia ſano ſenſu

accipi

accipi debeant, quando canones, ſicut ſacras ſcripturas reverentur, id eſt propter ſcripturas ſacras *d. Nov.* 131. Secundum illud Apoſtoli, *Eſtote mei imitatores, ſicut Ego Chriſti.*

Verum antequam rem ipſam pertractandam aggrediar, rogatum eos velim, qui me provectiores, vel forte mei, ut, ſi in his, aut illis caſubus à me diſſentire videantur, mea, ſi fieri poſſit, commodâ interpretatione juvare velint, quod etiam circa illorum ſenſa me facturum polliceor, quoad potero, ſecutus in eo J. C. Caſſii inſtitutum, qui ſententiam magiſtri ſui Sabini bene excuſavit. *l. 19. in fin. D. de Recept. qui arbitr. recept.*

4. Methodum vero ſcribendi quod attinet; non eam, quę in jure noſtro proponitur, mihi ſervandam eſſe exiſtumavi, verum aliam ab illâ longe diverſam. Ibi quippe imperator in conſtitutionibus, juris divini tuendi gratiâ comparatis, principio agit, de doctri-

nâ fidei, deque cultu divino; deinde eccleſiis earumque juribus atque privilegiis; poſtmodum de Epiſcopis & clericis, deque reliquis ſacrorum miniſtris, jure, authoritate, & immunitate; denique de hæreticis, apoſtatis, aliiſque veræ doctrinæ adverſariis, eorumque bonis, mulctis atque pœnis iiſdem irrogandis.

Verum in meo libello talem ordinem elegi, qualem meo inſtituto judicavi eſſe convenientiſſimum; & præmiſſo jure Principis, aut ſupremi magiſtratûs in genere; etiam in ſingulari circa ſacra; meam extendi curam ad Eccleſiæ bona; Perſonas eccleſiaſticas ſeu miniſtros; eorum jura ſingularia ſeu privilegia, beneficentiâ imperatorum Chriſtianorum conceſſa & indulta; eoque omnia, quæ juris noſtri titulis, atque legibus ſparſim ſunt propoſita, quoad fieri commode potuit, Cœleſti adjutus favore, retuli atque in unum collegi.

CAP. I. SECT. II.

1. *Principi nullo iure poteſtas abſoluta eſt conceſſa.*
2. *Princeps & legibus naturæ, & gentium, & quibuſdam civilibus eſt obſtrictus.*
3. *A quibuſdam tamen legibus eſt immunis.*
4. *Removentur objectiones.*

1. IUs Principis in genere innoteſcet plus ſatis, ſi in tranſitu illam quæſtionem enucleavero quæ regulariter à JConſultis ad *tit. D. de Princ. conſtit. & tit. Cod. de leg.* ſolet ventilari, nullo excepto: Utrum Princeps omnino legibus ſit ſolutus, adeoque abſolutam illam habeat poteſtatem, qua omnes & omnia ſibi ſubjiciat, ipſe vero nulli mortalium ordinationi, nullis omnino legibus ſit ſubjectus? Ad cujus quæſiti deciſionem, adeoque ſententiæ communis manifeſtationem, (præmiſſâ illâ

illa vulgata DD. diſtinctione, eâque retentâ, quæ eſt inter vim legum directivam, & vim legum coactivam, ſeu coërcentem. *Zoeſ. D. de legibus. n.* 27. 28. 29.) in genere probabo nullâ lege, aut conſuetudine, nullo jure ſcripto, aut non ſcripto illam poteſtatem Principi tributam eſſe, ut à vi legum directivâ ſit liberatus: dein particulatim ſingula expendam. Id vero quod Principi conceſſum non eſt, nec conceſſum eſſe probari poteſt, etiam ejus non erit. Cum qui aliquid ſe jure adeptum eſſe ſtatuit, titulum aut cauſam ſui juris allegare debeat. Quod ei, qui dicit, qui affirmat, non qui negat, incumbat probatio. *l.* 2. *D. Probat. l.* 23. *Cod. Eod.*

Non equidem in Principem translata illa poteſtas jure Regio Hebræorum, de quo 1 *Sam. c.* 8. *verſ.* 11. *& ſeqq.* Et *Sichard. ad leg. illam Regiam.* Eo quod illud jus Regium Samueli deſcriptum, non tam juris ſit, quã facti, vel pravæ cujuſdam conſuetudinis à

vicina-

vicinarum gentium barbaro more deſumptæ. Uti hoc ipſum fuſe à Theologis ad illum locum Samuelis ſolet explicari: inſuper ex ſequentibus erit manifeſtum ſatis. Nam quod ibidem vocabulum in textu occurrit מִשְׁפַּט ſeu ratio, etiam in ſacro codice denotat illam conſuetudinem, quæ facti eſt, non juris. 1 *Sam. c.* 2. *verſ.* 1. Ut inde nullum fundamentum pro abſoluta atque licentioſâ terreni Principis auctoritate ſit petendum.

Non lege Regiâ Romanorum; quia illa lege, forte populo vi extortâ, ſaltem per artes & fraudes emendicatâ, (ut, videre licet in *mea diſſertat. de lege Regiâ*, inſertâ tractatui de *Jure ſtatutorum*) Princeps quidem poteſtatem nactus eſt condendi leges, ſed utiles & proficuas populo; quod ſalus populi ſuprema lex eſſet: inſuper belli paciſque indicendi, elargiendi munera, ſaltem ea deferendi talibus quos ſenatui commendaſſet. Non tamen dictâ lege ullibi

ullibi cautum, ut quasvis pro arbitrio ferret, multo minus, ut omnibus omnino foret ſolutus. Tantum *Utique* (verba ſunt legis Regię) *quibus Plebeiſve ſcitis ſcriptum fuit, ne Divus Auguſtus Tiberiuſve, Julius Cæſar Auguſtus Germanicus tenerentur, iis legibus, plebeiſve ſcitis Imper. Cæſar Veſpaſianus, ſolutus ſit. Quæque ex quaque lege, rogatione, divum Aug. Tiberium, Julium Cæſarem Aug. Germanicum, facere oportuit, ea omnia Imperat. Cæſari Veſpaſiano Aug. facere liceat.*

Quinimo negari non poterit, quin Princeps Romanus illâ ipſâ lege Regiâ fuerit ligatus, ejuſque poteſtas coarctata; ut eam excedere non potuerit, vel extra ejus limites ſubditis aliquid imponendo, vagari.

Non itidem lege Regia Germanorum Princeps aut imperator eam abſolutam nactus eſt poteſtatē; quod illa lex, quæ Aurea Bulla Caroli 4., potius jus Imperatoris coarctet, reſtringat, adeoque & licentiæ, ac dominandi libidini fibulam imponat,

nat, per notata à *Carpzovio ad d. l. Regiam German. circ. init.*

Non denique leges ullæ fundamentales populi, ab omni nexu Principem liberant; quod iiſdem ſemet aſtrinxerit, tanquam conditioni certæ imperandi.

Nec ullæ proferri conſtitutiones poterunt, quibus abſoluta Principis poteſtas, id eſt vitæ neciſque in ſuos ſit tributa. Neque enim præſumendum talem ſubditos poteſtatem in Principem tranſtuliſſe, quali ſe ipſos everterent, aut pecudum inſtar ſe regi paterentur. Unde, ſi lex forte quæpiam proferretur, quæ abſolutam illam poteſtatem ſtabiliret, credibile foret, non eam conventione liberâ, & voluntariâ paciſcentium conditam, ſed vi metuve extortam fuiſſe. Aſt quod vi, metuſve cauſâ geſtum eſt, ratum non habet Prætor, idque improbant leges civiles, atq; rationabiles. *Tot. tit. D. & Cod. Quod met. cauſ. Ego in tract. de Statutis. de leg. Regiâ,*

2. Ve-

2. Verum accuratius expendam ſingula, & quidem principio demonſtrabo, legibus divinis Principem ſolutum non eſſe. 1. Quia Principis eſt omnia dicta, facta, ad Dei Omnipotentis nutum, atque placita dirigere, ne ejuſdem voluntati vel in minimo adverſetur, *l.* 56. *in init. Cod. de Epiſcop. & Cleric. Novel.* 8. *in init. Nov.* 16. *de Lenon. Nov.* 109. *Capitu'. Carol. & Ludovic. libr.* 2. *cap.* 1. 2. Quin imo, ſi quid doctrinæ ſacrorum librorum, quæ Eccleſiaſtica dicitur, inconveniens eſſe deprehendatur, id ipſum quam primum corrigere, & emendare. *l.*56.*in init. Cod. de Epiſcop. & Cleric.* 2. Quia nemo mortalium juri divino exemptus eſt, ut nec Deus ullibi legibus divinis ipſum Principem exemerit, aut eundem ſupra illas leges eſſe voluerit. Cum nec ipſe Deus ſuis omnino legibus ſit abſolutus. Ut barbara & belluina vox ſit, non hominis ſani, non Chriſtiani, Principem jurijurando præſtito non teneri, adeoque con-

contemptæ divinæ majeſtatis eum reum non fieri. 3. Quia, cum Princeps acceperit imperium à ſuperiori, ſit Dei miniſter in terris *Rom. c.* 13. *verſ.* 1. 2. *can. licet de for. compet.* illique ſubditi à Domino Deo ſint concrediti. *Nov.* 77. *in init. nov.* 88. *in init. Carolus* 7. *Francorum in init. proœm. ad Pragm. ſanct.* demandatam inſuper juriſdictionem, & à Deo dependentem nanciſcatur, vel ut loquitur. *Bald. in tit. de Pace Conſtant.* Judex delegatus Dei; etiam per os Dei loquatur, ut ſcribit *gloſſ. in Auth. de Hæred. & Falcid.* non poterit quid velle adverſum ejus juſſum, cujus vicem in terris gerit, ne fines ſui mandati exceſſiſſe dicatur. *Bald. in Repet. l. ſi aquâ Cod. Servit. Damhoud. prolixe Praxi rerum Crimin. c.* 82. *à n.* 30. Ut cum ipſe ſuo modo ſit omnium Dominus, una tamen cum omnibus ſit Dei ſervus. Unde rectè *Agapetus in Baſilicis ſcripſit c.* 68. κύριος μὲν πάντων ἐστὶν ὁ Βασιλεύς, δοῦλος δὲ μετὰ πάντων ὁ Βασιλεὺς ὑπάρχει τοῦ θεοῦ. Id quod

quod congruum dicto Caroli & Ludovici Imperatorum, qui in *capit. libr.* 5. *c.* 248. aſſerunt: *non licere imperatori vel cuiquam pietatem cuſtodienti aliquid contra mandata divina præſumere.*

Quin imo in tantum ſubeſt princeps ſacris canonibus, regulis eccleſiaſticis, ut eum ſecundum eas corripiat ſacerdos Dei, eique ſecundum legis divinæ præſcriptum merito voce & precibus reſiſtat. Utque manifeſtum ſit, etiam cum Principe ſecundum leges à Deo latas eſſe procedendum, textum ſubjiciam S. S. qui eſt. 2 *Paralipom. c.* 26. *verſ.* 16. & *ſeqq. Et cum roboratus eſſet, elevatum eſt cor ejus ad corrumpendum, & prævaricatus eſt contra Dominum Deum ſuum: & ingreſſus eſt in templum domini, ut ſuffiret ſuper altare ſuffimenti. Et ingreſſus eſt poſt eum Hazaria ſacerdos, & cum eo ſacerdotes Domini octoginta, filii robuſti, & ſteterunt contra Huſſia regem, & dixerunt ei: Non eſt tuum Huſſia ſuffire domino; ſed ſacerdotum, filiorum Aaron,*

qui

qui ſanctificati ſunt, eſt ſuffire. Egredere de ſanctuario, quia pravaricaturus es, & non erit tibi ad gloriam à Domino Deo. Et iratus eſt Huzzia, *& in manu ſuâ ſuffimentum ut ſuffiret. Et cum iraſceretur ſacerdotibus, lepra exorta eſt in ejus fronte coram ſacerdotibus in domo Dei ſuper altare ſuffimenti. Et reſpexit ad eum Hazaria ſummus ſacerdos, & omnes ſacerdotes, & ecce ipſe leproſus in fronte ſuâ. Et fecerunt eum feſtinare ex illo loco & etiam ipſe compulſus eſt egredi, quia eum percuſſit dominus.* Adjiciam ex *capit. Carol. & Ludovici. poſt c. 3. & ſeqq. libr. 2. canonem* 163. *libr.* 5. Ubi hęc inter cætera occurrunt. Illud etiam ad exemplum reducendum eſt, quod in eccleſiaſticâ hiſtoriâ Conſtantinus Imperator Epiſcopis ait. *Deus*, inquit, *Conſtituit vos ſacerdotes, & poteſtatem vobis dedit, de nobis quoque judicandi. Et ideo nos à vobis recte judicamur.*

Non etiam naturæ legibus Princeps exemptus dici poteſt. 1. Quia Deus autor naturæ, nullibi Principi naturam

naturam ſubjecit, ut poteſtas Principis ad jus naturę ſit redacta. Arg. *l.* 23. *in Princ. Cod. de Nupt.* Unde nec quicquam poteſt in naturam lex principis, nec per eam ipſe jura naturę immutare poteſt. §. 2. *Inſtit. de Uſufr. verb. nec enim poterat. l.* 2. *D. de Uſufr. ear. rer. quæ uſu conſum.* §. *fin.* *Inſt. de legit. Agnat. tutel: l.* 8. *D. de cap. min.* 2. Quia quod jus naturæ ſpectat, homines inter ſe ſunt ęquales, ut quoad ſubjectionem iſtius juris, par omnium ſit ratio. *l.* 32. *D. de reg. jur. ibidemque DD.* 3. Quia illis tantum legibus ſolutus eſt Princeps, quibus populus illum exemit. Aſt naturę legibus, aut gentium illum nec potuit, nec debuit eximere populus, uti nec exemit: eo quod nulli populo ſubſint, aut ab ullius pendeant diſpoſitione. Unde *Lactant. Firmian.* 6. *Divinar. Inſtit. cap.* 8. *ex Cicer.* 3. *de Republ. Eſt quidem vera lex, recta ratio, natura congruens, diffuſa in omnes conſtans ſempiterna, quæ vocet ad officium, jubendo, vetando à fraude deterreat.* Neque

que vero per ſenatum aut per populum ſolvi hac lege poſſimus. 4. Quia cum lex naturæ ſit legis divinæ quædam expreſſio, ſeu imago, non poterit, qui Deo ſubeſt, non ſubeſſe legi naturę ſeu rationi. Ταυτὸν ἐστιν ἕπεσθαι θεῷ, καὶ τὸ πείθεσθαι λόγῳ. *Idem eſt*, inquit Plutarchus *init. Libell. de audit. Deum ſequi & parere rationi.* Quæ etiam eſt vera ratio, quod Princeps teneatur ſtare contractibus initis cum ſubditis. Pacta enim & contractus ſunt juris naturę atque gentium. § . 2. *Inſtit. jur. nat. Gent. & civil.* Ut nihil magis congruum exiſtat humanæ fidei, quam quę ſemel placuerunt ſervari, adeoque grave nimium ſit, fidem fallere *l.* 1. *D. de Pact. l.* 1, *D. conſt. Pecun. Peregrin. de jur. fiſc. lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 44. *Bronck.* 1. *Enant.* 11. *Guid. Pap. deciſ.* 340. Secus ſi obtineret grande nimium oriretur in humanis rebus incommodum, quod cum Principe nemo velit contrahere. Ad exemplum pupilli, quo cum nemo contrahit ſine tutoris auctoritate; eo

B quod

quod non obligaretur aut Princeps, aut pupillus.

Hanc vero ſententiã eſſe communem, & omnium Juriſc. vel ex Arthuro Duck, ſcriptore Anglicano colligere licebit, qui in ſuo tract. ſub Carolo rege ann. 1648. edito, de *Author. jur. civil. Roman. lib.* 1 *c.* 3. *n.* 11. 12. ſic
„ſcribit. Principem teneri ad jura na-
„turæ & gentium, omnes aſſerunt:
„tenetur ratione naturali; cum jus
„naturale ſit potentius Principatu,
„ex Baldi & omnium ſententiâ; ideo
„ad contractum tenetur ut Privatus
„nec poteſt contractum ſuum re-
„ſcindere, ex plenitudine poteſtatis,
„cum maxime requiratur in eo bo-
„na fides. Unde imperatores Prin-
„cipeſque lege naturali, rationali, &
„jure gentium ſoluti non ſunt, ut
„loquitur Ludovicus Bologninus.
„Atque ita dum Dion aſſerit Princi-
„pem teneri ad eas leges quas ille
„ἀναγκαίαν νόμισιν appellat, Clar.
„Claudius Salmaſius, eum intelli-
„git de jure gentium & iis contra-
„ctubus,

„ ctubus, qui ex eo jure deſcendunt, „ quales ſunt emptio , venditio „ mutuum, locatio, & alii commu- „ tativi contractus, ad quos omnis „ Princeps tenetur; iiſque nullo mo- „ do eſt ſolutus. &c. *Bald. ad c.* 1. §. *fin. qui feud. dare poſſ. Socin. jun. conſ.* 126. *n.* 17. *vol.* 3. *Bald. ad c.* 1. §. *ad hac. de Pace firm. Caſtr. ad l. digna vox. Cod. de leg. Vaſq. libr.* 1. *contr. Illuſtr. c.* 26. *n.* 12. *Coraſ.* 2. *Miſc.* 25. *Tuſch. concluſ.* 50. *verb. Papa. Bologn. ad Auth. Habita. Cod. Ne filius pro patre. Dion. libr.* 53. *Salmaſ. diſſert. de Fœn. Trapez. p.* 401. *vid. Acta Colonienſ. de ann.* 1572. 1583. *edita cum privil. p.* 78. 107. 121. *&c. Edictum ordin. General. de ann.* 1581. *Jul.* 26.

Non itidem Princeps omnibus legibus civilibus omnino eſt exemptus. Ratio eſt, quia multæ leges civiles naturalis juris ſunt declarativæ aut conſecutivæ. Ut ſi huic non ſit, nec etiam iſtis debeat eſſe ſolutus.

Non denique cęteris omnibus civilibus, etiam mere poſitivis, aut

forte civili qua conſideratione introductis. Quia cum ipſe populus ſuis legibus teneatur, certumq; ſit ipſum populum non plus juris in Principem tranſtuliſſe quam ipſe habuit, etiam evidens erit Principem ſuis legibus ſubditum eſſe oportere. Quæ etiam ratio eſt, quod jus quæſitum, nemini ſine juſta cauſa & publica utilitate poſſit aut debeat auferre. Certum indicium eundem certis adſtringi legibus & obligari. §. *ult. verb. ut cuiquam hominum. Inſtit. qui ſui vel alien. jur. l.* 2. §. 5. §. 10. §. 16. *D. Ne quid in loc. publ. l. id quod noſtrum D. de Reg. jur. l.* 2. 3. 7. *Cod. prec. imper. offer. Nov.* 89. *c.* 11. *Ego in diſp. de Princ. conſt. in fin. ibique varii.*. Inſertâ tractatui meo de *Naturâ Statutorum.*

Quid quod omnis Principis authoritas, à juris ſeu legum dependeat auctoritate, ipſo Principe fatente *l.* 4. *Cod. de legib.* Ut ideo non tam ſit ſolutus, quam legibus ſolutus eſſe *videatur* quas illum ſervare decens eſt, & decorum

l. 23.

l. 23. *D. de leg.* 3. *Gothofred. ad Nov.* 108. *c.* 2. §. 4. *in fin.* Quod vero decens eſt, & decorum, quod honeſtum, id etiam fieri debet, ut ſi omiſſum ſit, id quod indecens & inhoneſtum eſt, ſubſequatur. Neque enim nos quicquam poſſe cenſendum eſt, niſi quod honeſte poſſimus. Et quæ facta lædunt, pietatem, exiſtimationem verecundiam, & generaliter quæ contra bonos mores fiunt, illa nec facere nos poſſe credendum eſt. *l.* 15. *D. Cond. Inſtit.* Aliter ſi quid eveniat, inde oriretur omnis injuriarum occaſio, unde jura naſci oportet. *l.* 6. *in med. Cod. Unde vi. leg. pen. D. Hæred. inſtit.* Cumque nihil magis ſit Principi proprium, quam ſecundum jura vivere, quæ in ſcrinio pectoris habet recondita. *l. ex teſtamento* 3. *Cod. de Teſtam.* Proprium autem ſit, quod perpetuo rei conjunctum eſt, nec ſeparari poteſt. Principem ſemper à legibus eſſe dependentem, etiam à civilibus, hinc manifeſto conſequetur. *Vid. Co-*

varr. 3. *var. reſol* 6. *Gothefred. loc. cit.*

Quid quod legibus regni fundamentalibus ſemper Princeps ſit obſtrictus, quæ tamen forte mera Politicâ conſideratione ſunt introductæ. Niſi quis illas leges fundamentales conceperit per modũ conventionis, aut contractus inter Principem & ſubditum initi, quo nomine multo minus legibus fundamentalibus erit exemptus. Tenetur enim lege naturæ, adeoque tenetur contráctibus initis cum quibuſcunque, quia illi ſunt juris naturæ, & gentium, ut in ſuperioribus fuit denotatum. Unde ſi populus ad obedientiam exhibendam ſit obſtrictus, idque ex vi legis fundamentalis, ipſe viciſſim Populo ad regiminis formam, qualis illi lege fundamentali præſcripta, cenſebitur obligatus. Aliter contractus claudicaret, & eſſet tantum ab uno latere obligatorius. Cum tamen ex conventione partium ſit ultro citroque obligatio facta, interpoſita utrinque juriſju-

jurisjurandi religione. Cumque in contractibus ſeu conventionibus ſervetur proportio Arithmetica, non Geometrica, etiam perſonarum nulla habebitur ratio, ut æque quiſque ex ſua parte ſit obligatus.

Quid quod etiam apud gentes moratiores Principum fuerit limitata poteſtas, à legibus quibuſdam fundamentalibus, à Procerum poteſtate dependens. Nec ſi regibus Iſraëlitarum fuiſſet liberum in ſubditos conceſſum arbitrium, Achab, cum Nabothi vineam ſuo patrimonio junctam vellet, quod ſceleri obtenderet, quæſiviſſet. 1 *Reg.* 21. Neq; generali pręcepto Reges admoniti fuiſſent, ne ſeſe efferrent ſupra fratres. *Deuter.c.*17.*verſ.* 20. Et donationibus à Regibus factis ex bonis ſubditorum valor ineſſet, ſi Domini fuiſſent bonorum abſoluti, contra *Ezech. cap.* 46. *verſ.* 18. Zedechias equidem (ſi teſti contra ſe deponenti credendum) profeſſus eſt, ſe nihil debere facere adverſus Procerum re-

gni voluntatem. *Jer. cap.* 38. *verſ.* 5. *Et dixit*, inquit, Scriptor divinus, *rex Principibus ecce eſt in manibus veſtris, quia non eſt conſentaneum, ut Rex poſſit aliquid facere contra vos.*

Iſraelitarum moribus conformia etiam aliarum jura gentium. Sic apud Ninivitas, Babylonios, licet imperia Aſſyriorum, & Perſarum fuerint dura ſatis, Reges ſine conſilio nihil peregerunt, cui etiam auſcultare neceſſum erat. *Daniel. cap.* 5. *verſ.* 7. 15. *Jon. cap.* 3. *verſ.* 7.

Inter Græcos notius eſt nihil quam viros principes legibus fuiſſe alligatos. Quod vel illo Themiſtoclis erit manifeſtum. Qui cum ab eo Simonides peteret, ut pro ſe injuſtam foveute cauſam, ſententiam ferret: reſpondit, Neque tu bonus poeta fueris ſi præter metrum caneres: neque ego Princeps bonus, ſi contra leges pronunciarem. *Lycoſt. Apopht. de leg.*

Apud Romanos itidē Imperatorū quodammodo à ſenatu, ſaltem à populo, id eſt Majeſtate reali, depēdens erat

erat poteſtas, lege Regiâ, uti dictum, limitata. Id quod vel abunde patet ex illo Plinii in Paneg. Trajano dicto: *Tyranni non boni Principis eſt quæ temere vult ea velle pro lege habere.* Id quod apud Germanos uſitatum ſecundum Tacit. in Germania c. 7. *Nec Regibus infinita poteſtas, & duces exemplo potius, quam imperio.* Ne dicam, hodierno tempore in Imperio Germanico, lege Regia Germanorum omnes obſtringi imperatores; quod certius eſt, quam ut ulla egeat probatione.

Anglorum etiam Reges Parlamento ſubjectos fuiſſe, etiam in chartam magnam juraſſe, ab eâque pependiſſe hiſtoriæ faciunt fidem. Et in regno Galliarum lege Salicâ dominantes teneri, vel lippis atque tonſoribus eſt notum. Apud Polonos, Suecos, Danos, alioſque plures, ex conſilio Procerum, omnia ſua Reges peragere, ipſe etiam eventus docet. Ut niſi Turcarum, Moſcovitarum, Tartarorum barbara imperia exceperis, nullus

Regum ſine lege rexerit, aut regat etiamnum.

3. Negandum tamen non eſt, quin Princeps quibuſdam legibus civilibus, juris novi humani inductivis ſit ſolutus. Et quidem illis legibus, quas tulit ſubditis, non ſibi: illis quæ tantum ipſos ſubditos, non Principem reſpiciunt. Tales bene multæ extant in corpore juris, circa ſolemnia contractuum, & teſtamentorum latæ. Tales itidem leges nonnullę veſtiarię, ſumptuarię, luxus moderatrices. Tales ſunt, quando ſola voluntate Princeps manumittit, ſine ſolemnibus teſtamenta condit, ſua præſentiâ ſupplet juris ſolemnitates, donat ultra 500. aureos citra inſinuationem, & quæ ſunt hujus generis innumeræ.

4. Neque huic meæ deciſioni obſtat. 1. Non poteſt Princeps ſibi leges dicere, quia nemo poteſt ſibi imperare, aut jus ſtatuere. *l. pen. D. Recept.* Reſp. 1. Princeps non ſibi dicit leges, verum contrahentes invicem

cem legem dicunt, legem inquam contractus, & pacta concipiunt utrinq;, quibus ſe ſubjiciunt. Id quod fit lege fundamentali regni; cui non magis ſubditi quam Princeps eſt obligatus. Ideoque etiam utrinque illa ſervanda eſt ex æquo, quia in contrahendo par omnium conditio. Nec poſt initum, aut perfectum contractum, alterius conditio diminuitur, multo minus jus ex contractu quæſitum perdidit alter aut amiſit. Jurat igitur Princeps ſe ſecundum legem fundamentalem jura civibus daturum eſſe. Jurant itidem cives obedientiam, homagium, fidem auxilium ſe exhibituros eſſe. Hâc tamen lege, vel expreſſâ vel ſubintellectâ, hâc conditione ſi Princeps legi conformiter imperii habenas adminiſtraverit. Non forte ſtat ille promiſſis; fidem fallit. Nec proceres illi ſunt obſtricti, meritoque denegant fidelitatem: quod frangenti fidem data fides non ſit ſervanda; ut conditionalis promiſſio deficiente conditio-

ne nulla eſt. 2. Quinimo non abſurdum eſt, quempiam aliquo modo leges ſibi dicere, adinſtar Dei; qui ſuis ſe legibus, & pactionibus, jurejurando; interpoſito obſtrinxit ex mero ſuo beneplacito. Quod ut ab initio in ſigno rationis, erat voluntatis, ex poſt facto in neceſſitatis legem tranſivit. Ut iniquum non ſit, in viro Principe ſimile quid admittere. Tunc enim *obſervantior æqui. Fit populus, nec ferre negat, cum viderit ipſum Auctorem parere ſibi.* *Claudian. Paneg.* 7. Quinimo ſubinde Deus provocat ad pacta cum ſuis creaturis inita, & ſe ſubmittit creaturarum ſuarum judicio, quo oſtendat ſe promiſſorum præſtitorum immemorem non fuiſſe, ſeque pacta cum creaturis inita per omnia ſervaſſe. *Jeſai. cap.* 5. *Nunc ergo habitatores Hieruſalem, & viri Juda; judicatote inter me & vineam meam; quid eſt, quo debui ultra facere vineæ meæ.* 3. Quia dum Princeps fert leges, non ſuo nomine, ſed mandato univerſi populi, à quo illi rei præpoſitus,

poſitus, eas ferre debet, ut & iis legibus quas tulit ipſe teneatur, quod non eas ſuo tulerit nomine. Non aliter atque illi, qui ſtatuta condunt, eâdem ratione ſe ipſos, ut alios obligare conſueverunt. *Ludov. Roman. conſil.* 419. Non aliter atque prætor edictis à ſe conditis etiam obſtringitur: quod de jure non abſurdum fuit viſum; ut qui nomine populi non ſuo, edicta condere ſolet. *l.* 3. *D. offic. Prætor.* Ut etiam hinc locus ſit regulæ, *Quod quiſque juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur. tit. D.* Quinimo non aliter atque quiſpiam poteſt in ſuâ cauſâ jus dicere, reſpectu diverſo, *l.* 77. *D. de judic.* ita & ſibi modo aliquo leges ferre, in ſeipſum exercere juriſdictionem; ſaltem voluntariam, dum ſervum proprium apud ſe manumittit, vel adoptat filium. &c. *l.* 3. 4. *D. Adopt. l.* 20. *§. fin. D. Man. vind.* Una enim eademque perſona quandoque diverſo jure cenſeri poteſt; adeoque, quod uno modo, prohibitum,

altero quandoq; admiſſum erit *l.* 4. 5. *D. quod cujuſque univerſit. nom.* Sic itidem Princeps, in quantum eſt à populo delegatus, populi nomine legem fert, ipſe tamen, uti membrum, licet nobilius, licet præcipuum illi legi, Reipublicæ latæ paret. Neque enim ipſe paret, ut univerſus populus; ſed ut pars princeps & principalis. Adeoque, ſi accurate loquamur, non tam propriis legibus ſubeſt, quam ipſius populi, quod leges non tam ſint Principis authoritate, quam populi mandato principi conceſſo, factæ, qui populum repræſentat. Non aliter atque gubernator navis, cum cæteris qui ſunt in navi legibus navalibus ſubjicitur, eaſque inter omnes præcipuè obſervat. Et niſi id obtineret, hæc oboriretur iniquitas, quod potior eſſet partis quam totius conditio: ut cum omnes in univerſum ſe ſubjecerint legibus univerſitatis, pars non cenſeatur eſſe exempta, niſi in quibus eam exemptam

ptam voluit ipſa univerſitas. Unde & l. Regiâ olim latâ ſtatutum fuit, *Principem illis fore exemptum legibus, quibus illum populus exemptum voluit.*

Non etiam obſtat 2. Quod ſubditi Principi pareant, illo ſint inferiores, ut in Principem leges nullas ferre valeant; quod par in parem, multo minus inferior in ſuperiorem non habeat imperium. Reſp. 1. Si corpus univerſitatis, ſi Pares regni, ſi imperii Proceres populum repræſentantes, non ſunt Principe inferiores, quemadmodum & inter Canoniſtas multi ſtatuunt, Concilium Papa inferius non eſſe; ſi qui in illum Majeſtatem illam perſonalem, tanquam Domini committentes, contulerunt, illo, tanquam commiſſario, ſunt ſuperiores, neque enim aliter in illum jura Majeſtatica conferre potuiſſent. Et adhuc ſint ſuperiores, quod tantum perſonalem majeſtatem contulerint, reſervatâ ſibi reali; quæ vis eſt, atque fundamentum perſonalis majeſtatis, quod

nunquam

nunquam perſonalem populus formaliter habuerit, ſed virtualiter, & eminenter tantum, quod eſt, habere majeſtatem realem; eamque non in Principem tranſtulerit, adeoque adhuc ſibi tanquam propriam reſervarit. Et cauſa ſit effectu dignior, ſuperior, præſertim, ſi in ſe contineat effectum virtualiter, & eminenter. Nihil abſurdi conſequetur, ſi legibus populi nomine latis Princeps paruerit, quia latis ab eo, qui Principe, eo, quo dictum eſt, modo, ſuperior eſt.

Non inſuper obſtat. 3. Princeps non peccat ſubditis, aut in ſubditos, quia Pſalmiſta dicit *Pſalm.* 51. *v.* 6. *Tibi ſoli peccavi.* Ergo legi civili non ſubeſt. *Reſp.* 1. Non peccat proprie ſubditis, verum non jure agit in ordine ad univerſu populum, cui obligatus eſt, in quantū fines mandati, ac negotii ſibi concrediti, ac commiſſi, excedit. 2. Quando inquit Pſalmiſta, *Tibi ſoli peccavi*, reſpicit conſcientiam, in ordine ad divinam illam legem,

gem, à Deo latam, quæ ſoli Deo ſubeſt, ejusque legi immediate & primario, legibusque humanis, non niſi per conſequentiam ac ſecundario. Ita ſi ſubditus peccaverit, ſoli Deo peccat primario, quia in legem divinam, & ideo in humanam legem offendit, & homini vel regi, vel proximo peccavit, quia Deus ſuæ legis præcepto voluit, ac ſancivit, ut reverentiam ſuperiori exhiberet, proximo charitatem; ut tamen omnis peccati analyſis ſit in Deum, cui ſoli conſcientia humana ſubeſt. Vel 3. Dixit Pſalmiſta, *Tibi ſoli peccavi*, in quantum Deus ſolum peccata remittere poterat, non homo; id quod ex contextu ſatis evidenter colligitur. Vel 4. *Soli Deo peccavit*, quia de facto illum ſubditi cogere non poterant, aut pœnis temporalibus ſubjicere, ſic ut Deum tantum ultorem ſui delicti eſſet habiturus, non aliter atque Plinius Panegyriſtæ: *Illud in Principatu beatiſſimum quod nihil cogitur*, ἀμαρτήσας

τήσας ὑ̓ κολάζεται *Harmenop.*1.*tit.*1. *Cujac.*15. *obſ.* 30. Ut tamen ideo negandum non ſit quin pœnæ, ſit obnoxius; adeoq; à proceribus in officio ſit continendus, ſi degeneret in Tyrannum; licet tantarum ſit virium ut forte cogi nequeat. Unde hic diſtinctionem adhiberi velim, inter jus, & factum: non aliter atque Princeps ſubditum malefactorem punire debet, & legum pœnis coërcere, licet quandoque id de facto nequeat, viribus deſtitutus, ut ideo tamen jus ſuũ nec remiſiſſe, nec amiſiſſe ſit dicendus. Exemplo ſit Rex David, qui Joabum homicidam, condignis pœnis afficere non poterat de facto, licet Joab, legum pœnis, de jure, non ideo fuerit exemptus. Ut ultionem merito filio Salomoni regi ſapientiſſimo, in imperio ſtabilito commiſerit. 2 *Sam. c.* 3. *verſ.* 27, 28. *& ſeq. & verſ. ult. collat. cum* 1 *Reg. c.* 2. *verſ.* 5, 6, *&* 34.

Non denique obſtant leges civiles *l.* 31. *D. de leg. l.* 2. §. 3. *D. orig. jur.*

jur. l.3.l.19.Cod. de Teſtam. §. ult. Inſtit. in juſt. rupt. irrit. Teſtam. Novel. 105. *c.*2. *in fin. Reſp.* 1. Quia cum ipſi Principes loquantur de ſe, ipſis in cauſâ propriâ nihil dd. ll. proſunt; quod teſtis aſſertioni pro ſe factæ non ſit adhibenda fides. 2. Quia omnia illa jura, quod etiam ex ipſis textubus apparet, ad legum civilium ſolemnia, quibus Principem exemptum voluit populus, ſunt referenda; id eſt, ad illa privilegia, quæ Principi tanquam capiti populi, membro pręcipuo, ac Principali ſunt conceſſa, quo aliquo notabili indicio à cæteris membris eſſet diſcriminatus.

CAP. I. SECT. III.

1. *Principi per omnia parendum non eſt.*
2. *Non facile Principi reſiſtendum.*
3. *Princeps in conſcientiæ caſubus, aut fidei articulis determinandis, audiendus non eſt.*

4. *Princeps*

4. *Princeps non facit ſuâ conſtitutione licitum, quod alias eſt illicitum:*
5. *Quid Principi circa ſacra conceſſum?*
6. *Quid circa Hæreticos?*
7. *Hæreticos ad fidem amplectendam non coget Princeps.*
8. *De fide non ſemper eſt diſputandum.*
9. *Pernicioſorum librorum lectio prohibita.*
10. *Ad convincendos homines, diſputationes de religione non ſunt prohibitæ.*
11. *Princeps non eligit Eccleſiæ miniſtrum.*
12. *Nec deponit, aut ab officio removet.*
13. *Ne quidem ſine cauſâ juſtâ adimit, quod dedit; cujuſque conferendi habuit facultatem.*

1. POſtquam à me, quantum ſatis eſt, probatum fuit, Principem legibus ſolutum non eſſe; propter rei convenientiam, atque nexum demonſtrabo Principi per omnia parendum non eſſe, multo minus obediendum imperanti iniqua, aut juri divino contraria. Rationes ſunt

ſunt variæ. 1. Quia Princeps jubendo, non facit licitum, quod aliter eſſet illicitum, aut vetando, illicitum, quod aliter eſſet licitum. Ut nec juſtum ſit eo ipſo, quod aliquid mandet, aut injuſtum, quod prohibeat. Cumque ad illicitum, ad injuſtum, nulla ſit obligatio, nullus etiàm ſubditorum tale quid imperanti, auſcultare tenebitur. Ut blaſphema in Deum vox ſit, quaſi princeps ex peccato, ſi ita velit, poſſit facere non peccatum, & vice verſâ. Et omne quod illi lubitum fuerit, liceat. Sic ut in parato oporteat ſtare ſubditum, parendi cœcâ obedientiâ, mandatis quibuſcunque. Ita quippe Principe nihil foret ferocius, ut qui magis ſubdito metuendus, quàm ipſe Deus. Perſuaſum ſibi habet ſubditus, dum juſſui divino paret, nihil iniqui in illo contineri, ſine vitio, ſine odio, ſine indignatione prolatum eſſe. Aſt dum Principi paret, homini peccatori, non ignorat locũ quandoque eſſe gratię, odio, impietati, atque inju-

injuſtitię. Ut à Deo deſiderari abſolutam obedientiam ſit tolerabile, imò æquum bonumque; ab homine peccatore, ſit Tyrannicum, addam etiam Antichriſtianum, quin imo pejus omni antichriſtianiſmo. Quia ubi Papa imperium ſibi vindicat in conſcientias, ex peccato jubendo, facit non peccatum, uti dicunt Canoniſtæ, ibi prætexitur cura Eccleſiaſtica, ſpirituale judicium, quod ſacerdoti ſuo modo competit. Hic vero tantum imperium terrenum, quod in corpora, non in fidem, aut conſcientias hominum, Principi unquam eſt conceſſum; ne quidem miniſterialiter ſub Chriſto mediatore & capite. 2. Quia uti apud fęudiſtas eſt feudum ligium, vel non ligium. Et nonniſi unius vaſallus eſt homo ligius, qui ut ſuperiorem non agnovit, ita illi uni ſupremo abſolutam debet fidelitatem, contra omnes, nullo antepoſito. Non ligius autem poteſt eſſe plurium, quibus fidelitatem promittit, excepto tamen

ſemper

ſemper Imperatore, in quem arma non ſunt movenda. *tit.* 55. *libr.* 2. *feud.* §. *ult. Duaren. de feud cap.* 4. *Not.* Ita etiam, cum omnes homines ſint ligii ſubditi, in ordine ad Deum, quem Principe ſuperiorem agnoverunt, cuique fidelitatem jurant adverſus omnes, ſic ut Principi tantum ſint vaſalli, verum non ligii, cui ſemet ſubjecerunt, ſalvo jure ſuperioris; in tantum Principi debent obedientiam, & fidelitatem, ut ne quidem in minimum præjudicium adferant homagio, Deo debito; quem ut ſuperiorem Dominum, & antiquiorem, præſtito juramento fidelitatis, ſemper exceperunt. 3. Quia, dum populus Principi obedientiam promittit, eâ lege, & conditione, id agit, ut omnia princeps ſit adminiſtraturus in commune bonum, nec quicquam facturus Deo, aut ſaluti communitatis adverſum. Verum, ſi quid mandet divinis legibus contrarium, (cum fatentibus Imperatoribus Chriſtia-

Chriſtianis, in Deum ſpes, ſit Reipublicæ ſalus *Nov.* 109.) fini intento prȩjudicat, conditionem non implet, in quantum illa media præmiſſæ conditioni, tanquam fini non conveniunt. Cumque conditionaliter promiſſa deficiente conditione, ceſſent: etiam promiſſa Principi obedientia merito denegata cenſebitur, conditione à parte Principis non impletâ. 4. Quia hic ordo naturȩ, & juris gentium primævi ſervandus eſt, ut ante omnia Deo pareamus, dein patriæ, adeoque Principi, denique parentibus. *l. 2. D. de juſt. & jur.* Nam quo finis ulterior, eo eſt melior, & fini ultimo omnia tanquam media ſubordinata cenſentur; ut illi per omnia debeant inſervire & ne quidem in minimis ab eo declinare. Et qui ſervus eſt, cujuſdam ſervi ſupremi domini, is multo magis auſcultare debebit ſupremo, quam conſervo cui immediate ſubjicitur; ut huic, propter ſupremum dominum, obedientiam debeat, & honorem.

Non aliter enim atque in familiâ ſervus vicarius, qui eſt in peculio ſervi ordinarii, magis Domino paret, quam ordinario, quod omnes abſolute Patri-familias ſubſint:ita etiam omnes ſubditi, qui auſcultant Principi, una cum Principe, ut ſervi Dei altiſſimi conſiderati, licet diſtinctis aſſignatis officiis, huic maxime parere neceſſum habent, & ad id omnino advertere, ne quid agant, ne quid fiat in detrimentum, aut contumeliam domini ſupremi. 5. Quia, cum Princeps limitatum à Deo habeat imperium, non poteſt abſolute quid mandare, ſed reſpectu ſemper habito ad juſſum ſupremi legiſlatoris. Cui ipſe parere neceſſum habet. Unde Rabbini inter leges, Regibus jure divino præſcriptas eam collocant quæ occurrit. Deuteron. 17. v. 18. 19. *Cum ſederit ſuper thronum regni ſui, ut ſcribat ſibi duplum legis hujus, è libro qui coram Sacerdotibus Levitis. Eum ſecum habeat legatque cunctis diebus vitæ ſuæ, ut timere*

diſcat Deum, cuſtodire legem. Quo cum convenit illud Ludovici: *Lex Imperatorum non eſt ſupra legem Dei ſed ſubtus.* Sunt verba capitul. auditi-on. Ludovic. Imperat. c. 9. Ut Imperatori in tantum parendum ſit, in quantum conſiſtit intra obedientiam Deo debitam; non in quantum excedit. Ampliſſ. Graſwinckel. *tract. de Præl. juſt. & jur. adverſus P. Rebellum. p.* 233. Ut ſi quid de jure divino, contra jus divinum diſponat, limites ſuæ jurisdictionis transgrediatur; cuique propterea impune non paretur. *l. ult. D. de juriſd.* Neque enim illi Deus, legum divinarum curam omnimodam, id eſt diſpenſationem earundem unquam commiſit. Neque id habet in mandatis, ut circa eas quid audeat abrogare, iiſque vel obrogare, vel derogare. Hęc enim omnia Deo reſervatis ſunt annumeranda. Quinimo non aliter, atque miniſtro, aut apparitori non adhibetur fides, niſi proferat mandatum, aut juſſum judicis; & quod

magis

magis eſt ei quis reſiſtat impune, ſi non verſetur in officio, per notata à me in *diſput. ad l.* 3. *Cod. l. Cornel. de Sicar.* Ita etiam Principi contra expreſſa mandata divina quid præcipienti, & omnino fines mandati excedenti,non erit auſcultandum. 6. Quia ipſi adulatores aulici, aliique poteſtatis abſolutę Principis propugnatores accerrimi, fatentur Principem non poſſe mandare, quòd adverſetur naturæ, aut immediate conſervationi noſtri præjudicet; ut ei hâc in parte non ſit obediendum; Ex. Grat. Si mandet: Abi & ſuſpende te, ventrem tibi ſcinde, immiſſo laqueo, aut pugione, non equidem ullus mortalium ejuſdem mandatis parere neceſſum habet. Multo equidem minus, ſi mandet quid, quod Dei præcepto, ejusque cultui adverſetur: cum etiam noſtri ipſius, conſervatio Dei honori, ac gloriæ, tanquam fini ulteriori, atque nobiliori, ſit poſtponenda. Non aliter atque de jure civili ſervi tenebantur

propriam ſalutem poſtponere, conſervationi ſalutis Dominorum. *l.* 1. §. 2. *D. ad Silanian.* Hinc Grotius in *conſult. part.* 3. *conſ.* 325. *juriſc. Batav. n.* 32. ſtatuit omnibus quidem mandatis ſupremorum magiſtratuum parendum eſſe, modo tamen non pugnent cum jure naturali. 7. Quia id ipſum ſuadent monita & exempla virorum piorum, qui obedientiam jure merito Principi denegarunt, ſi eâ pręſtitâ, juri Dei præjudicatum fuiſſet. Et ne hic ſim prolixus, nonnulla tantum in proſcenium adducam, tam veteris quam novi teſtamenti libris inſparſa. Non equidem quiſpiam improbaverit factum obſtetricum Ægyptiacarum, quod impium Pharaonis edictum de pueris maſculis Hebręorum occidendis, neglexerint: cum eis eâ de cauſâ benedixerit dominus Deus. *Exod. c.* 1. Et laudatum illud factum Obadiæ Deum timentis aulæ præfecti regis Achabi, qui non ſolum Dei prophetas contra impium ſui regis man-

mandatum non interemit, verum & in ſpelunca abditos aluit & ſervavit incolumes. 1 *Paralip.* 18. *verſ.* 2. 3.

Quin imo in novo teſtamento Chriſtus ſalvator noſter benedictus cujus regnum non erat de hoc mundo, ut quoad cætera etiam ſubditus eſſet Principibus populorum, invitis nihilominus & reclamantibus, Sacerdotum capitibus, gentium præfectis, propalam in templo prædicationem euangelii promovit. *Johan. c.* 9.

Neque magis poſt eundem Apoſtoli Primoribus Judæorum morem geſſerunt, interminantibus, & prohibentibus, ne in poſterum Jeſum, ejuſque doctrinam ſalutarem prædicarent: quod in concurſu potius Deo quam hominibus parendum eſſe judicarent. *Actor. c.* 5. *v.* 29. Plura huc facientia, qui cupiat, inſpiciat ſcripturæ loca eorumque commentatores, & autores huic deciſioni à me ſubjectos.

Nec deerunt rationes, nec exempla. *Actor. cap.* 4. *verſ.* 19. *& Epheſ. cap.* 6. *verſ.* 1. *Coloſſ. cap.* 3. *verſ.* 22. 1 *Pet. cap.* 2. *verſ.* 17. *Exod. cap.* 1. *v.* 17. 1 *Sam c.* 22. *v.* 17. *Proverb. c.* 8. *v.* 15. *& c.* 24. *v.* 21. *Daniel. c.* 3. *v.* 12. *& ſeq.* Arg. *Mat. c.* 22. *v.* 21. *Perez. Cod. de jure fiſci. Chriſt. vol.* 1. *Deciſ.* 130. N. 3. *Sichard. jur. reg. Hebr. c.* 4. *theor.* 14. *p.* 104. *Danæus Ethic. Chriſt. lib.* 2. *c.* 12. *Ameſ. med. Theol. lib.* 2 *c.* 17. *n.* 54. *Merul. prax. civil. l.* 1. *tit.* 4. *c.* 2. *Carpzov. l. Reg. Germ. c.* 1.

2. In cautelam autem hæc notanda, & iis, quæ hactenus à me dicta, & dictata, ſubjicienda; ne temere judicent, non inſpectis ſequentibus. Scilicet me ne quidem in minimis juri Prſncipis inviolabili & ſancto præjudicatum velle. Abſit Abſit! Tantum enim animus mihi fuit demonſtrare, quid conceſſum Principi, quid denegatum; ne ſui juris immemor, ſibi quævis licere putet impune, neve poteſtatem ſibi à Deo

Deo tributam in licentiam trahat, eamque in libidinem, aliaque multa mala; neve quo facile inclinant dominantium animi, acerbe nimium ſuo jure utatur. Potiuſque ſe, ut mitem ſubditorum patrem probet, quam ſervorum dominum; ſeque & Dominum in cœlis habere credat, cui quondam ſuæ adminiſtrationis rationem ſit redditurus, cum in glorioſo illo ultimi judicii die, ſubditorum ſuſpiria, & gemitus, quos oppreſſos, tanquam totidem rei publicæ male geſtæ teſtes adverſus ſe eſt habiturus. Ut tamen ignari ſubditi eſſe non debeant, aut diſſimulare ipſum Principem Dei vicem in terris ſuſtinere, adeoque non temere jugum Principis, etſi durum excutiendum eſſe. Cogitentq; ſe non peccare ſi forte tyrannide oppreſſi Deo vindictam committant, nec id ipſum culpæ annumerari, ſi quævis gravia, perferant, ac patiantur. Raro ſine peccato Superioribus reſiſti, nec facile Principem

ejurari, etſi forte in leges impingat. Quod ſæpe nimium affectibus indulgeant nonnulli è populo, dum ſpecie quâ libertatis tuendæ, etiam quamvis arripiunt occaſionem, Principem, licet in nonnullis ſolummodo officium excedentem, cætera non malum, deponendi, vel ſaltem ejus auctoritatem in dubium trahendi. Id enim crimen etiam pœnæ obnoxium eſſe, exemplo è ſacrâ paginâ deprompto ſatis colligi videtur. Memoratur enim Regem Joas cum à Domino Deo deſciviſſet Zechariam filium Jehojada ſummum ſacerdotem per nefas è medio tuliſſe contra divinum præceptum. Cumque propter illud flagitium, ipſius ſervi, citra procerum regni juſſum, in Regem conſpiraſſent eumque è medio tuliſſent, populus terræ & occiſi regis ſucceſſor, in occiſores ultimo animadverterunt ſupplicio. Neque enim ipſorum erat, legitimum Regem etſi in officio excedentem, lucis uſura privare. Cogitandum

tandum potius fuiſſet, Principem unctum Domini appellari, cui, nonniſi ruptis legibus fundamentalibus quibus eſt obligatus, nec tamen per quoſcunque, nec per turbam, aut factionem, ſed per Imperii Proceres, & quidem ſervato ordine juſti atque decori, omnibus ſalubribus conſiliis & monitis præmiſſis, adeoque moderatioribus omnibus adhibitis remediis, ſed fruſtra, reſiſtendum eſſe; eique ſi fieri per divinas leges potuiſſet, per omnia & in omnibus parendum fuiſſe. Et ſicut in parentem non facile inſurgunt filii, licet dura imperantem, eique pauciſſimis in caſubus, obedientiam nativam jure denegant; ita nec Principis imperio, cujus perſona ſancta & veneranda ſubditis videri debet, facile quis ſemet ſubduxerit, aut ſceptrum licet grave, citra grande crimen, excuſſerit, vel auſu dejecerit temerario. Ut tamen ipſi proceres ſi ad Tyrannidem vergat Princeps, parere merito detrectent, ejus auctoritatem

ejurent, non facile, imo nunquam ad hoc procedant, ut eundem occidant. Exemplo Ordinum Belgii fœderati qui poſtquam in vanum omnia eſſent remedia adhibita, tandem Hiſpaniarum regis jugum excuſſerunt. Vid. decretum de ann. 1581. Jul. 26.

Ut hic nonnulli perſtringendi, orthodoxiæ, reformatæ religionis, hoſtes acerrimi, qui quo reformationẽ, quem Calviniſmum, Lutheraniſmum, appellant, & pietatis exercitia Potentioribus reddant inviſa, (inter quos potiſſimũ excellunt homines, Pontificii, viri aliter litterati, etiam inter noſtros ſectarii nonnulli) clamitant reformatos de ſolio deturbare magnates, in Principes conjurationes ſuſcipere, & ut ſcribit Jullus in Apologiâ pro Eccleſiâ Anglicanâ p. 74. *regibus Sceptra de manibus eripere, populum armare, regna ad popularem ſtatum revocare; ut ita odiſſe inciperent noſtram* (inquit) *doctrinam, prius quam noſſe poſſent: utque ſi viderent aliquem noſtrum, toties ſe putarent videre*

videre hoſtem ſuum. Quibus tamen reſpondet hunc in modum dictus
„ Juellus. Moleſtum quidem nobis
„ eſſet ita odioſe accuſari graviſſimo
„ crimine majeſtatis, niſi ſciremus
„ Chriſtum ipſum aliquando, &
„ Apoſtolos, & infinitos alios ho-
„ mines pios, & Chriſtianos, vo-
„ catos fuiſſe in invidiam, eodem
„ fere crimine. Nam Chriſtus qui-
„ dem, quamvis docuiſſet, dandum
„ eſſe Cæſari, quod eſſet Cæſaris,
„ tamen accuſatus & ſeditionis,
„ quod res novas moliri, & regnum
„ appetere diceretur: itaque accla-
„ matum eſt pro tribunalibus publi-
„ ce adverſus eum: ſi hunc dimittis
„ non es amicus Cæſaris. Et Apo-
„ ſtoli, quamvis ſemper & conſtan-
„ ter docuiſſent, obtemperandum
„ eſſe magiſtratibus: omnem ani-
„ mam ſuperioribus poteſtatibus eſ-
„ ſe ſubditam: idque non tantum
„ propter iram & vindictam, ſed
„ etiam propter conſcientiam: ta-
„ men dicti ſunt commovere popu-

„lum, & multitudinem ad rebelli-
„onem incitare. Amanus, hoc ma-
„xime pacto, genus & nomen Ju-
„dæorum adduxit in odium apud
„Aſſuerum, quod illos diceret eſſe
„populum rebellem & contuma-
„cem, & Principum edicta & juſſa
„contemnere. Impius rex Acha-
„bus, Eliæ prophetæ Dei: tu, in-
„quit, conturbas Iſrael. Amaſias
„ſacerdos Bethel, apud regem
„Hieroboam, accuſat Amos pro-
„phetam conſpirationis: ecce, in-
„quit, Amos conjurationem fecit
„contra te, in medio domus Iſrael.
„Breviter, Tertullianus ait, adver-
„ſus omnes Chriſtianos hanc ſuo
„tempore accuſationem fuiſſe pu-
„blicum: eſſe illos proditores,
„eſſe perduelles, eſſe hoſtes hu-
„mani generis. Quare ſi nunc
„quoque veritas male audiat,
„&, eadem cum ſit, iiſdem nunc
„afficiatur, contumeliis, quibus
„affecta eſt olim, & id moleſtum &
„ingratum eſt, novum tamen aut
„inſo-

„ inſolens videri non poteſt. In quo „ etiam reſponſo & ego adquieſco, quod id adverſarios abunde, etiam calumniatores refutet.

3. Subſequuntur & alia ex didu-ctis dependentia, propius ſpectan-tia jus Principis circa ſacra, ordine recenſenda atque pertractanda. Ubi pręcipue inquiritur, num in con-ſcientiæ caſubus decidendis, fidei ar-ticulis determinandis, audiendus ſit Princeps, aut Magiſtratus ſupre-mus? Reſp. Ita quidem velint aſſen-tatores Aulici, laxi Theologi & Ca-ſuiſtæ, qui jus Dei, jus eccleſię, pro-prium jus violant, aſſueti paraſitari, homines deperditi, & vitę non adeo reformatę; qui quo ſub præſidio potentiorum lateant, aliter forte ab eccleſiis, aut claſſubus, aut Syno-dis taxandi, & cenſurâ notandi, pro ut merentur, Superioribus neſcio quam inauditam tribuunt poteſtatem, cauſas & caſus morales, theologicos, ad Decalogi præcepta expendendi, audiendi, examinandi,

determinandi, ſic ut res dicatur ſatis ſuperque deciſa, licet conſcientię ſit caſus, ſi modo à potĕrioribus qualiter qualiter ſit examinata. Ita tenet D. Samuel Mareſius conceptis verbis. *in fin. Allocut. ad lectorem. in Vindic. Reſponſi ſui de Canonic Ultraj. & p. 3. & p. 42. In Epiſtol. ad Amicum de Reconcil. inter ſe & Celeb. Voetium.*

Verum tamen quid iſti adulatorię & injurioſæ, & in Deum impię ſententiæ ſit opponendum, cujus contrarium hic tueor, ex ſequentibus erit manifeſtum. Et judicabit æquus lector, an non melius Theologiæ conſulat Juriſconſultus cum quo ſibi nihil vult negotii Mareſius, licet tantum in Theologia profecerit ut hic forte Mareſium inſtruere poſſet. Qui Sacrę Scripturæ fontes guſtare ne quidem didicit, ut ſuo Syſtemati Theologico non uno in loco inſerat Hebraica male connexa, & deſcripta. Verum rem ipſam miſſis circuitionibus, rectâ viâ reputabo, atq; ſententiam eam quæ com-

munis

munis eſt reformatorū, ſequentibus rationibus ſtabilitum ibo. 1. Quia, etiam ex prȩſcripto ipſius Imperatoris, ſacerdotium miniſtrat rebus divinis, Imperium humanis. *Nov. 6. & init. Nov.* 42. Ut utriuſque diſtinctæ ſint poteſtates, adeoque nec confundendum exercitium. *Confeſſ. Belg. ord. Synod. Dord. artic.* 30. 31. *artic.* 22. Diſtinctæ ſcilicet, objecto, cauſâ, fine, officio, proprietatibus. Illa, quæ poteſtas eſt miniſtri Dei, verſatur circa res Dei ut ſunt tales; hȩc circa res Cȩſaris. Illa circa hominem internum ſpiritualem; hæc circa externum, Politicum. Illa à Chriſto ut mediatore; hæc ut à Domino Deo dependet. Illa verbo, prece, prædicatione; obteſtando, rogando, hortando, inſtruendo, hominem dirigit, ut reddatur aptior in via vitæ ſpiritualis; hæc etiam jubendo, vinculis carceribus, corporum coërcitione cogendo, imperando ſocietati civili conſulit. Illa, ut gratiæ regnum, magis magiſque capiat

piat incrementum; hæc ut naturæ regno ſua conſtet auctoritas. Illa quidem poteſtas eſt, & juriſdictio, ſed ſpiritualis, & quidem miniſterialis; hæc Dominica, auctoritativa, ſæcularis. Illa ſubſtitutum non habet, nec eſt in capite ſubſtituto; hęc ſubſtitutum admittit, ut viceregem, & poterit eſſe ſubſtituta. 2. Quia non Imperator, verum ſacerdos diſcernet inter purum, & impurum, quid ſanctum ſit, quid prophanum, judicabit. *Ezech.c.*44.*v.*23. Cui etiam ſoli myſteriorum divinorum commiſſa eſt diſpenſatio. 1 *Corinth.cap.*4.*v.*1. *Ordin. Synod. Dordrac. art.* 18. 3. Quia Eccleſiæ miniſter, mediate obligat conſcientiam, id eſt, hominem obligat Chriſti nomine, cujus miniſtrum agit. Et optime præſumitur ſenſum Chriſti callere, adeoque non eſſe cœcus ductor, aut doctor hominum per viam veritatis, 1. *Cor. c.* 4. *verſ. ult.* 1 *Cor. c.* 3. *verſ.* 20. *Matt. c.* 10. *verſ.* 5. *&* *c.* 18. *verſ.* 17. *Luc. c.* 10. *verſ.*
16.

16. 1 *Teſſ. c.* 5. *verſ.* 12. 13. *Hebr. c.* 13. *verſ.* 17. *Arg. l.* 6. *Cod. Sacroſ. Eccleſ.* 4. Quia non aliter atque ſi dubitetur, vulnus ſit lethale, nec ne, ad judicium recurritur Medicorum; ſi de finibus finium, ad menſorem itur; ſi de peritia ſtudioſi, ad doctorem, ſeu præceptorem: *l.* 4. *Cod. fin. Regund. l. memini.* 14. *Cod. Advoc. diverſ. judic. Speculator tit. de Homicid. verb. ſed pone.* Atque ita Artifici in ſuâ arte credendum, atque fidendum judicanti de re, cui præpoſitus eſt: quod in eâ illum deceat eſſe peritum, adeoque habere ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni, atque mali. *Arg. l.* 12. *D. de ſtat. homin. l.* 1. *in med. initii D. de ventr. inſpiciend. l. comparationes. l. plures. Cod fid. inſtrum. l. hâc edictali.* §. *hic illud. Cod. Secund. Nupt. l.* 1. §. 1. *D. Rebus credit. ibique Gothefred. in not. & ad l.* 36. *D. de Solut. Nov.* 64. *Everhard. in Topic. in loco ab Autoritate.* Ita ſi agatur de morbis, aut vitiis vitæ ſpiritualis, animæ medicos in conſilium

um adhibere oportebit. Et quod de Auguſtino *Petrus Faber 2. Semeſtr. alt.* optimus Theologus, non ęque bonus forſitan ipſe J C. Ita & hac regerent Theologi. Magnus legiſlator Conſtantinus, Magnus imperator, ſed non magnus eccleſiæ doctor. *Albericus de Nupt. libr.* 1. *c.* 10. *in fin.* vid. & confeſſ. Synod. Anglię de ann. 1647. ſub Carolo Rege c. 32.

Unde eleganter imperatores Carol. & Ludovic. in capitulari ,, libr. 5. c. 63. Illud ad exemplum ,, reducendum eſt quod in eccleſia-,, ſticâ hiſtoriâ Conſtantinus impe-,, rator epiſcopis ait: *Deus conſtituit vos ſacerdotes & poteſtatem vobis dedit de nobis quoque judicandi. Et ideo nos à vobis recte judicamur.* Et ex Proſpero ,, de vitâ contempl. & actuali: *ipſis ſacerdotibus proprie animarum curandarum ſollicitudo eſt commiſſa, qui pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes, pro peccatis omnium, velut pro ſuis, infatigabiliter ſupplicant Deo: ac velut quidam Aaron incenſum contriti cordis & humiliati*

miliati ſpiritus offerentes, quo placatur Deus, avertunt iram futuræ animadverſionis à populo. Quo per Dei gratiam ſiunt divinæ voluntatis judices & poſt Janitores, quibus claves ſunt datæ regni cœlorum. Ipſi etiam diſpenſatores regiæ domus quorum arbitrio, in aulâ regis æterni dividuntur gradus & officia ſingulorum & c. 170. *honorem debitum epiſcopis abſque ulla ſimulatione aut detrectatione impendant, eiſque in omnibus, ut patribus obediant: & quicquid pro ſalute animarum monuerint prout melius potuerint adimplere ſatagant.* 5. Quia cauſæ Eccleſiaſticæ non ſunt cauſæ regis, aut imperii ſecularis, adeoque ad imperium non pertinent. 2 *Paralip. c.* 19. *verſ.* 11. *Johan. c.* 18. *v.* 36. 37. Ut, quemadmodum indecens eſt Eccleſiaſticam perſonam ſeſe immiſcere negotiis ſecularibus. 2 *Timoth. c.* 2. *v.* 4. *Marc. c.* 10. *v.* 42. 43. *Luc. c.* 22. *v.* 25. 26. ita etiam incongruum ſit, Imperatorem ſe immiſcere negotiis mere Eccleſiaſticis: præſertim cum diſtincta ſint jura Dei, & Cæſaris: ut

nti abunde patet ex antecedentibus. *Arg. Matt. c. 22. v. 21.* Et qui cenſet iniquum eſſe, Aaronem Moſi pręfici, is etiam ſciat æquum non eſſe, in negotio ſacerdotali Moſem præfici Aaroni. Utque nec ſacerdotem militem volumus, ita pari jure nec militem cupimus ſacerdotem. Non enim conveniunt, aut eadem ſede locantur cithera & gladius, arma ſpiritualia, & temporalia. Quod ſi quis ita exiſtumet, & judicet Regem quandoque Prophetica tractaſſe, ſicuti hoc ſuadent exempla, Davidis, Salomonis, aliorumque; is ſciat & ſacerdotem Jehojada quandoque peregiſſe Politica. Ut ſi poſterius pro regula obſervari nolit, nec prius nobis merito obtruſerit; præſertim cum non exemplis, quę quandoque jus ſingulare continent, adeoque ad conſequentias trahenda non ſunt, verum legibus ſit vivendum. Nec videndū quid Romę fiat, quam quid fieri debeat. *l. 12. D. offic. præſ.*

Ut non per omnia hic aſſentiri poſſim,

poſſim, viro Ampliſſ. Graſwinckelio, (à quo aliter diſſentire mihi religio) qui libelli antea allegati p. 227. & ſeqq. nimium quantum in negotiis eccleſiaſticis Magiſtratui politico tribuere videtur. Ut tamen alibi nolit Principis poteſtati ſubeſſe quid credendum ſit. p. 234.

Ut quam maxime hic cenſurâ ſint notandi, qui, dum eccleſiæ miniſter rogatus ad conſcientiæ caſum ſibi propoſitum, & quidem ab urbium rectoribus reſpondet, quod ſibi viſum Dei verbo convenire, id vitio vertunt quaſi grande crimen ſit commiſſum, & Politico ſeſe negotio immiſceat Eccleſiaſtes. An igitur Primores civitatum aliquid Politici à Concionatore decidi cupiunt? Aut ab eodem in negotiis ſecularibus, conſilium deſiderant? Id equidem non eſt probabile, quia tum culpandi potius eſſent urbiũ Rectores, ſi vellent ut Concionatores ſeſe negotiis Politicis præter officiũ immiſcerent. An vero conſuluntur Concionatores

ſuper

ſuper rebus certis, & indubitatis per magiſtratus, ut ſuper iis reſpondere nequeant, quin crimen committant? Aſt id ipſum eſſet contra jura manifeſta, quibus ſtatuitur, conſiliũ ſapientis, nonniſi ſuper re dubitabili deſiderari. *init. inſt. de Codicill.* Aliter conſilium expetentes magis eſſent reprehendendi, ſi rem certam dubitabilem facere voluerint. *c. cum in jure. & ubi Abbas. de offic. deleg. & l. dominus. D. de Teſtam.* aut in cauſâ liquida conſilium expetierint. *Bartol. in l. ille aut ille. §. cum in verbis. D. de leg. 3. Alex. conſil. 62. part. 2. & in l. ſi ſic ſtipulatus. D. verb. obligat.* An vero conſulti concionatores ſuper conſcientiæ caſubus, reſpondere detrectabunt? Verum hoc ipſum eſſet aut hominis ſtupidi, & illiterati; aut timidi, & ignari: vitia in concionatore in tantum reprehendenda, ut eundem illo ordine faciant indignum. Ut enim doctor, invitus conſilium reddere cogitur (niſi ſit advocatus in cauſa. *l. nemo. Cod. Aſſeſſ.*
Ludov.

Ludov. in ſingul. verb. conſilium) ita etiã informator animarum, niſi earundẽ velit eſſe proditor. Argum. *l. ſcimus Cod. Advoc. diverſ. judic. & gloſſ. in l. 2. Cod. Proximi Sacror. Scrin. libr.* 12.

4. Prædictis etiam connexa eſt hæc quæſtio, utrum Imperator ſua conſtitutione faciat licitum quod aliter in conſcientiâ foret illicitum? Et ſubditus parendo tali conſtitutioni, eo ipſo, quod juſſu ſupremi Magiſtratus lata ſit, illæſam ſervet conſcientiam? Reſpondeo negando. 1. Quia, qui obſequium legi civili debet, id ſemper hac cautelâ adhibitâ aut ſubintellectâ debet, *ſalvo jure ſuperioris*, puta Dei, à quo nullâ ratione declinandum eſt. Non aliter, atque in jure feudali, qui homagium, & fidelitatem jurat ſeniori, ſeu Domino ſuperiori (niſi ſit feudum ligium) ſemper excipit territorii dominum, aut ſaltem imperatorem, cui ante omnia paret. Hinc qui ſequitur ductum legum humanarum, ita eas ſequitur, ſi non devient

devient à ſuo primo Principio; divinâ ſcil. lege. Quodcunque enim bene ordinatum eſt, oportet ut ſit reducibile ad Principium, ex quo originem ducit. Ut lex humana, quæ aliter eſt regula, ſi diſſentiat à Principio, è quo ducitur, potius errare, quam dirigere ſit dicenda. *c. ſunt quidam.* 25. *q.* 1. *c.* 5. *de Teſtam. c. inter hæc.* 33. *q.* 2. *c. qui reſiſtit. c. Julianus c. qui omnipot.* 11. *q.* 3. *c. qui contra mores.* 8. *diſt. c.* 1. *de Conſtitut. Fortun. Garcias de ult. fin. jur. civil. & canon. p.* 142. *n.* 201. 2. Quia nunquam poteſt Princeps ex injuſtitiâ facere juſtitiam, aut inhoneſtum honeſtare. Niſi velit eſſe Papa in terris, & eandem ſibi tributam cenſeat facultatem, quam Canoniſtæ Pontifici Romano. De cujus factis (uti ajunt) diſputare, eſt adinſtar ſacrilegii. *Gloſſ. in l. Non nos beatam. diſt.* 40. Quem nemo poteſt reprehendere, etſi ſuam, & ſuorũ fratrum negligat ſalutẽ, & innumerabiles populos ad infernum ſecum traheret. Cui nemo mor-

mortalium eo nomine contradicere, aut quem alicujus culpæ redarguere nullus mortalium præſumat. *C. ſi Papa. Diſt.* 40. Sic ut ex non juſtitia, poſſit facere juſtitiam, *Gloſſ. in* 1. *Decret. tit.* 7. *c.* 2. *c. quanto.* & ex peccato non peccatum. *Bald. contr. Barclay. c.* 31. *Art. Neſcio quid.* Cujus ſententia æſtimari debeat, ac ſi ex ore divino profecta eſſet. *Thom. Aquin. de Regim. Princ. lib.* 3. *c.* 14. Adeoque poſſit diſpenſare contra Apoſtolum, vetus Teſtamentum. *Gloſſ. in* 3. *Decret. c.* 4. *de compeſſ. Præb. Canon. Præpoſuit.* etiam contra ipſum Dominum. *Gloß. in cauſ.* 25. *qu.* 1. *c. ſunt quidam.* Et ſi aberraret, & mandaret vitia, vetaret virtutes, credendum eſſet vitia eſſe licita, virtutes illicitas. *Bellarm. de Pontif. lib.* 4. *c.* 5. Quæ omnia, quia ut blaſphema, ſunt rejicienda: etiam improbandum erit prius. *Hottom in Brut. fulm. pag. mihi* 13. *Ego in Tract. de Statutis.* 3. Quia nequit ullius Principis terreni edictum, vel juſſus, aliquem ex-

imere nexubus legis moralis;ut quę diſpoſitioni Principis nuſpiam fuit ſubjecta: quod omnis lex civilis, ſeu humana dependentiam à lege divina habeat. *Barboſ. ad l.* 4. *Cod. SS. Trinit.* Ut hic non immerito dicatur, jus divinum lege morali contentum, pactis, aut conſtitutionibus hominum immutari non poſſe. *Arg. l.* 38. *D. de Pact.* etiam per leges & textus ſcripturæ, ſuperius allegatos. Neque obſtat *Eccleſiaſt. cap.* 8. *v.* 2. 3. 4. Quia in dicto ſcripturæ loco de privatis agitur, quibus fas non eſt, Regi contradicere, & quidem in iis, quæ non excedunt Regis poteſtatem. 4. Quia declarare, aliquid in conſcientiā licitum eſſe vel illicitum, nihil aliud eſt, quam dirigere hominis actiones in ordine ad vitam ſpiritualem. Verum id ipſum nulli poteſtati ſeculari commiſſum eſt, aut conceſſum; utpote cui directe, & primo, vitæ Politicæ ſalus, atque tranquillitas eſt curæ. Sic ut ad conſcientiam tranquillan-

quillandam ſola Dei vox audiri debeat, ab iis prolata atque declarata, qui animabus hominum miniſteriali poteſtate ſunt prępoſiti. *Matth. c.* 15. *v.* 9. & *c.* 23. *v.* 2. 3. *Rom. c.* 13. 1 *Cor. c.* 3. *v.* 5. & *c.* 4. *v.* 1. 2 *Cor. c.* 5. *v.* 20. 1 *Pet. c.* 2. *v.* 13. & *c.* 5. *v.* 2. 3. 1 *Timoth. c.* 5. *v.* 2. *Act. c.* 15. *à v.* 6. *Nov.* 137. *in init.* 5. Quia oportet conſtitutionem Principis conformem eſſe juri divino, & ejus regulas ſequi, non aliter atque executio à ſervo facienda domini mandato conformis eſt; cujus fines excedere nec debet, nec poteſt. Non enim ſervus quicquam facere poteſt contra legem Domini; ſunt verba *Gloſſ. in Auth. ad hæc. Cod. de Uſur.*

Id quod Iſraëlitę ſatis noverunt, qui in faciendo, non ſecuti, quod volebat Moſes, verum ei conformiter, quod Deus Moſi in mandatis dederat, ſua peregerunt. *Numer. c.* 1. *v. fin.* Ne ſi contrarium obtineret in veteri teſtamento extra culpam dicantur conſtituti ſubditi, qui

ad mandatum regis Joash Sacerdotem domini Zecharia filium Jehojada, contra fas & jus lapidibus obruebant. 2. *Chronic.* 24. *v.* 21. Etiam recte feciſſe dicatur Paulus ante converſionem, cum diſcipulos Chriſti fideles, adeoque ipſum Chriſtum perſequeretur; ut qui mandatis & litteris executorialibus Principis ſacerdotum inſtructus, omnia ſua peragebat. *Actor. c.* 9. *v.* 1. 2.

6. Quia nihil magis in Principe fulget quam recta, & ſincera in Deum fides, *l.* 4. *Cod. S. S. Trinitat. Barboſ. Cod. ibid. n.* 5. Quæ tum demum obtinet cum aliquid Deo placens peragit imperator; quoque Divinum numen placari poſſit. Sic utiq; ſentiunt, ſic loquuntur Chriſtiani Imperatores; nec aliter ſentiendum & ſtatuendum eſt, per textus ſe ſuperius allegatos notiſſimum eſt. *l.* 5. *in init. Cod. Sum. Trinit. vid. & Proœm. Carol.* 7. *Francor. ad Pragmat ſanct. ſuper Concil. Conſtant. & Baſil. Anton. Quett.*

Conſil.

Conſil. 61. *Oldendorp. in Claſſ. in init. de jur. ordin. Rittersh. ad Nov. part.* 2. *c.* 1. *in init. Gothefred. ad Nov.* 315. *c.* 2. §. 4. *litt.* K. L. *in Comm. Ameſ. caſ. conſc. libr.* 1. *c.* 2. *n.* 8. 9. & *lib.* 5. *c.* 41. *n.* 10. & *ſeqq. Grot. de jur. bell. & pac. lib.* 2. *c.* 1. *n.* 14. *Anton. Matt. tract. de judic. diſp.* 1. *n.* 32.

5. Verum an non Princeps aliquid poterit in ſacris, pręſertim, ſi Chriſtianus ſit, & religionem orthodoxam profiteatur? Ut habeat poteſtatem Eccleſiaſticam internam quæ formaliter eſt talis, & per quam in ſacris quid ſtatuat? Id omnino negandum eſt. Ut externam poteſtatem habeat quæ verſatur circa ſacrorum jura nonnulla, & circumſtantias, id facile concedendum erit; idque congruenter illi dicto Imperatoris Conſtantini, ad Epiſcopos: vos Epiſcopi eſtis in Eccleſiâ, Ego extra. apud *Euſeb.* 4. *de vita Conſtant. c.* 24. Quo refero illud Juſtiniani imperatoris in *Nov.* 17. *c.* 11. „Ubi jubet, ut ſi quid emergat ad

„canones eccleſiaſticos pertinens, „de eo Præſes unà cum Epiſcopo „Provinciæ cognoſcant, & termi„num cauſæ dent, orthodoxæ fidei „decenter, & ſaluti publicæ con„gruenter. vid. *David. Pareum de poteſt. regum contra Papam. fol.* 74. *Sixtin.* 1. *de Regal.*4.*n.*1. *Apollon. de jur. majeſt. circa fin. Choppin. de Sacrâ Polit.* 1. *tit.* 1. *n.* 1. *& libr.* 1. *tit.* 7. *n.* 31. *Confeſſ. Synod. Anglic. de ann.* 1647. *c.* 23. *n.* 3. *& Eccleſia Scotica, artic.* 24.

Quinimo Magnus ille Jacobus Brittanniæ, in Theologicis controverſiis eruditus ſatis, non ignarus eorum quæ Principi citra ſacra competebant, ad candidum lectorem ante Apolog. pro juram. fidelit. ſic ſcripſit: *Chriſtiano cuique Regi, Principi ac Reipublicæ eſſe conceſſum, externam in rebus eccleſiaſticis regiminis formam ſuis præſcribere; quæ ad civilis adminiſtrationis quamproxime accedat, dummodo à Fidei veræque Religionis fundamentis nec tantillum abſcedat.*

Cui teſtimonio, quod in hoc negotio

gotio maximum & graviſſimum, adjiciendæ variæ allegationes, Theologorum reformatorum in Anglia adverſus Pontificios, ſuper Poteſtate Regis Angliæ in negotiis eccleſiaſticis, ad finem libri, Clariſſ. Matthię Netheni, adverſus Prof. Samuelem Mareſium, ſuper Capitulis Ultrajectinorum Canonicorum reformandis ſubjectæ.

Cernitur autem circa externum eccleſiæ regimen multiplex Principis cura, multiplex officium. Sic enim circa religionem ſollicitus eſſe debet, ut ea quæ vera eſt doceatur, & nonniſi una in imperio publice, atque propalam exerceatur. Quam etiam auctoritate ſibi à Deo conceſſâ, ſi forte expulſa ſit per imperatores hæreticos, loco, & ſtatui priſtino reſtituet. Efficiet inſuper ut omnes, qui publicis funguntur muneribus, eam profiteantur, etiam in illam jurent, quemadmodum factitatum in gente Judaica & poſtremis ſeculis, etiam ab Ampl. Senatu

Trajectino. Religionem inſuper ſic tuebitur, ut Eccleſiæ nutritium decet, ſeque illum in finem etiam inter cætera, à Deo in terris eſſe datum credet. Reformationem cultus depravati, per miniſtros inſtituet, illos ad hoc opus peragendum excitando. Ritus nonnullos externos, qui tamen non ſunt de intrinſecâ ratione juris Eccleſiaſtici, de conſenſu, vel conſilio miniſtrorum immutabit. Cætera Eccleſiæ jura in ſuo ſtatu relinquet, nec quicquam innovabit. *Deuteron. c.* 24. *v.* 12. 14. 15. *Joh. c.* 24. *v.* 25. 2. *Reg. c.* 23. *v.* 3. 2. *Chron c.* 15. *v.* 12. *Nehem c.* 10. *v.* 29. 2. *Chron. c.* 29. *&* 30. *Joſ. c.* 24. *v.* 14. 15. 1. *Sam. c.* 15. 2. *Sam. c.* 7. *v.* 1. *& ſeqq.* 2. *Paralip.* 26. *v.* 16. *& ſeq.* 2. *Reg. c.* 16. *v.* 14. 15. *l.* 1. 2. *in fin. l.* 7. *in med. init. & tot tit. Cod. de ſumm. Trinit. Nov.* 3. *in fin. c. ult. Diſt.* 10. *c. adminiſtratores* 23. *qu.* 5. *Capit. Carol. & Ludov. libr.* 2. *c.* 4. *& ſeqq. &* 23. *Rittersh. ad Nov. p.* 1. *c.* 2. *Rever. Parens de juram. relig. in part.* 3. *ſelect. diſp.*

Quin

Quin amplius curabit, ut conſilia Eccleſiaſtica, ut ſynodi quotannis, vel ſecundum capitula Carol. & Ludov. Impp. *libr.* 1. *c.* 13. 133. bis in anno, convocentur; maxime ſi eccleſiaſtici circa ſuum officium ſint negligentes. Et providebit, dum vel ipſe, vel per ſuos commiſſarios iis intereſt, ne occaſio alicujus tumultus oboriatur. 2. *Paralipom. c.* 29. *v.* 4. *l.* 4. *Cod. de Sum. Trinit. Nov.* 123. *c.* 11. *Duaren. poſt ſacr. miniſtr. & benef. Defenſio pro liberr. Eccleſ. Gallic. deliber. cap.* 3. 4. Quo etiam nomine conventibus eccleſiaſticis hebdomadatim inſtituendis quandoque interſunt magiſtratus, ſi ſcil. metus ſit alicujus ſeditionis, aut factionis. Grot. 4. annal. pag. 307. Oportet enim ut eccleſiæ negotia peragantur decenter ſemotis ſimultatibus, quæ animum in tranſverſum rapiunt. Ideoque tale quid tempore contentionum Lyceſtrianarum decretum in Synod. Hagæ-Com. de ann. 1606. Id quod etiam in nonnullis

Bataviæ urbibus tunc temporis, pauciſſimis tamen, fuit introductũ. Non tamen ea propter ſemper eſſe neceſſarium, ut conventibus miniſtrorum eccleſiæ interſit magiſtratus, inferendum erit. Quemadmodum ne quidem in Synodis abſolute procerum requiritur prę́ſentia, ad hocut per eoſdem convocentur eccleſię miniſtri; maxime ſi ſint alterius religionis. *Arg. Act. c.* 15. *col. cum* 2. *Cor c.*8.*v.* 18. 19. *vid. Rev. Parent. diſp. de Concil. & ſynod. part.* 2. *Synod. Angliæ confeſſ. ſub Carolo rege. de an.*1647.*c.* 31.

Canones inſuper in Conciliis, & Synodis latos Princeps approbabit, quo publice pro legibus habeantur, etiam pœnas, in delinquentes juridice decernendo, *l.* 7. §. 4. *Cod. de Summ. Trinit. l.* 8. §. 3. *Eod. Nov.* 42. *in fin. Nov.* 83. *c.* 1. *Nov.* 115. *c.* 3. §. 14. *Nov.* 131. *c.* 1. Id quod etiam ipſi Pontifices pro confeſſo habuerunt, *c.* 8. *de judic. c. fin. de ſecund.* Nupt.

Quinimo judicio diſcretionis, judicio ſpirituali ſubſequente, & appro-

approbante, ſi ſit fidelis, omnia explorabit, quæ ab Eccleſiaſticis ſunt decreta, non autem eadem cœco impetu, & implicita fide, comprobabit. *l.* 5. *Cod. ſum. Trinit. in init. l.* 7. §. 4. *Cod. Eod. Arg.* 1. *Cor. c.* 10. *v.* 16. 1. *Teſſ. c.* 5. *v.* 20. 21. *Joh. c.* 4. *v.* 1.

Ut tamen lubens ſuum indicium in cauſis illis Eccleſiaſticis, ſubmittat judicio talium Dei ſervorum, & miniſtrorum, qui in opere Dei maxime verſati, & exercitati. 2 *Chron. c.* 30. *v.* 22. *Nov.* 42. *in fin.*

Verum, ut quæ circa canones dicta, clarius percipiantur, hic inquirendum in illam quæſtionem: Num Principibus viris, urbiumq; Rectoribus jus competat condendorũ canonum eccleſiaſticorum, vel regularum doctrinam fidei, & regimen intrinſecum eccleſiæ, ſpectantium? Reſpondeo quod non. 1. Quia in dictis conciliis ubi canones ſeu regulę eccleſiaſticæ conduntur, Chriſtus eſt univoce eccleſiæ Princeps, in re ſpirituali, & eccleſiaſticæ perſonæ

 ibidem

ibidem congregatæ ſunt judices, licet judicent judicio ſub Chriſto, miniſteriali. Præſes autem ſupremus & judex eſt Deus per ſcripturam. Si enim Synodi indicantur, vel ſi in Doctrinâ, aut moribus aut diſciplinâ, labatur eccleſia, aut eccleſiaſtici. Et de verâ Doctrinâ, de decore, de ordine in eccleſiâ ſervando, congruenter verbo Dei ſub Chriſto capite, ferre judicium miniſteriale tantum ſit eorum, qui donis & vocatione ſunt inſtructi, quales Apoſtoli, Preſbyteri, doctores in eccleſiâ. *Actor. c.* 15. quibus peculiari ratione oracula Dei ſunt concredita, utpote qui ſenſum Chriſti optime noverunt, per ſuperius à me notata. Sequetur neceſſario omnes actiones, deliberationes, definitiones ad ſubſtantiam rei eccleſiaſticæ pertinentes, à cœtu eſſe ſervorum Dei, quibus ipſe rei ſuæ adminiſtrationem demandavit. 2. Quia diſtincta ſunt collegia, quin imo toto genere diverſa, reſpublica & eccleſia, diverſa juriſdictio, diverſum

verſum regimen. Illa quippe politia ſecularis, hæc ſpiritualis, ibi imperium, hic ſacerdotium. *Artic.* 30. *confeſſ. Belgicæ. art.* 71. *ordin Eccleſ. de ann.* 1618. 1619. Ut nequeat alter in alterius regimine ferre leges aut canones. Et quemadmodum Sacerdotium non fert imperio leges, ne quidem in iis rebus ad quas oportet utriuſque concurrere adminiſtrationem; ita nec imperium ſacerdotio fert leges, quas accipit à Chriſto. Ut locus debeat eſſe regulæ, ultra territorium jus dicenti, impune non paretur. *l. ult. D. de juriſd. Arg.* 2. *Regum. c.* 17. *v.* 26. 27. Ubi vel Rex Gentilis noverat modum colendi Deum, non à Principe ſed à ſacerdotibus eſſe petendum. Unde etiam in negotiis ſpiritualibus, ratione miniſterii non magis imperio ſubeſt epiſcopus, quam in cauſis politicis Imperator Epiſcopo. Eſt enim epiſcopus ſub illo formali miniſter Chriſti, ejus legatus, fidei diſpenſator fidelis. Licet ut civis per omnia ſubſit im-

perio, ſummis & ſubalternis magiſtratubus. 3. Quia ſi imperatores facerent canones, vel regulas eccleſiaſticas conderent, ſequeretur, eas non eſſe regulas eccleſiaſticas, ſed leges. Nam quicquid Principi placet legis habet vigorem. *l.* 1. *in init. D. de Princip. Conſtit.* Verum illas leges non eſſe, verum legibus contradiſtingui, patet ex *Nov.* 131. *c.* 1. ubi imperator Juſtinianus ſancivit, ut *vicem legum obtinerent canones*, ſcilicet antea ab eccleſiaſticis conditi; & paulo poſt infert, ſe *regulas ſicut leges* obſervare. An itaque quę ab Imperatore condita decreta, ut leges obſervabuntur, an potius erunt leges? Equidem leges erunt. Aſt quia canones non erant ab iis conditi, qui poteſtatem habebant legum ferendarum, ideo imperatoriâ opus erat auctoritate, ut canones vicem legum obtinerent.

4. Quia expreſſe imperatores ſtatuunt, in conciliis, in Synodis à ſanctis Patribus, Epiſcopis, Presbyteris,

teris, eccleſię doctoribus, non à ſe factas eſſe regulas. *l.* 3. *ſ.* 3. *l.* 7. §. 4. *Cod. de Summ. Trinit.* Eaque *Synodorum, non ſua, appellant dogmata. Nov.* 131. *c.* 1. *à conciliis expoſita aut firmata.* Quæ ipſi ſequuntur imperatores, non faciunt. Neque *Ordin. Eccleſ. Synod. Dordrac. de ann.* 1618. 1619. id juris denegat eccleſiaſticis, *artic.* 49. 50. Quin imo in capite d. or-
„ dinat. ſcribitur Ordinationem
„ hanc eccleſiaſticam in Synodo na-
„ tionali Dordracenâ eſſe conditam:
idque ad oppoſitionem, Procerum Belgii à quibus poſtmodum fuit approbata. & in fin. articul. d. ordinat.
„ Solis Synodis, non urbium recto-
„ ribus, conceditur ampliatio, di-
„ minutio, alteratio, dictorum
„ Canonum eccleſiaſticorum.

Negari tamen non poterit, quin publicæ illæ eccleſiaſticorum congregationes ordinariè fieri non debeant, (nam extra ordinem aliquid poteſt eccleſia, deficiente conjunctione magiſtratus) ſine conſen-

ſione,

ſione, auctoritate & mandato vel indictione ſummi magiſtratus; qui ordinis eſt pręſes atque præfectus. Ut ita ab eadem auctoritate intra officium contineantur omnes, ne turbæ & contentiones dentur inter eccleſiaſticos, neve inter ſeſe committantur; adeoque ex ſciſmate & diſſidio ſacerdotum major oriretur confuſio. Unde etiam poſt Synod. Dordracen. ſic conſtitutum, ut, ſi ſuper canonibus & articulis quæſtio oriretur inter Synedrium, & Magiſtratum loci, penes Ordines Provinciæ, dein penes Ordines generales foret deciſio.

Negari etiã non poterit, quin ſummus magiſtratus dum conciliis ordinis ratione pręeſt, gaudeat ſuffragio quo deliberativo, non autem ullo deciſivo. *art.* 50. *Ordin. Eccl. de ann.* 1618. 1619. Quali tantum gaudent illi, qui legitimis pietatis & doctrinæ donis, legitimâ vocatione inſtructi, negotiis eccleſiaſticis atque quæſtionibus ſeſe immiſcere debent. *l.* 4. *verb.*

nam

nam injuriam. Cod. Summ. Trinit.

Unde conſequitur magiſtratum Politicum in conventu eccleſiaſtico præſidere non poſſe, ut collegii Eccleſiaſtici præſidem; quatenus ibi de negotiis agitur eccleſiaſticis, quantumvis pietatis, & eruditionis donis ſit inſtructus. *Danæus ad 2. quæſt. ſibi propoſ. de auctor. magiſtr. in Synod. & Claſſ. Ordin. Synod. Dordrac. de ann.* 1618. 1619. *art.* 34. 35. vid. *Choppin. de Politiâ ſacrâ. libr. 2. c. 2. per totum. & maxime. n.* 12. 13.

Negari denique non poterit, eccleſiaſticis canonibus atque regulis imperatorem, vel ſummum magiſtratum auctoritatem ſuam accommodare, quo publice ſerventur, atque pro legibus habeantur. Sic ut ſingulos obligent, & ſi qui eos negligant externe mulctâ, coërceatur, vel aliâ quâ pœnâ in ejus violatores ſtatuta. *art.* 4. *conſt. Urbium* quarund. in *Holland. circa jus magiſtr. in eccleſ.* Et quemadmodum contemptus canonum per eccleſiaſticos vindicatur

cenſurâ eccleſiaſticâ: ita etiam eorum transgreſſores, ſi ſint reformati, civili ac Politicâ aliquâ pœna multentur. *Danæus Reſp. ad tertiam quæſt. de poteſt. magiſtrat. circ. canones Eccleſ. conſtit.* Sic enim imperator Juſtinianus. *d. nov.* 131. voluit, ut vicem legum obtinerent canones, ſcilicet poſtquam ab imperatore probati eſſent. Certum indicium eos non Imperatoris ſed Synodorum ſeu Conciliorum eſſe canones.

Neque tamen hinc magis ſequitur regulas eccleſiaſticas eſſe imperatorias, quam tutorem à patre teſtamento datum imperfecto, aut datum filio emancipato, dativum eſſe non teſtamentarium; quod eundem magiſtratus confirmaverit. *l.* 3. *D. confirm. tutor.*

Præterquam, quod Princeps, aut magiſtratus ſuâ confirmatione aut comprobatione, nunquam faciat canones eſſe regulas eccleſiaſticas, ut quæ tales erant, & quidem ſimulac ab eccleſiaſticis eſſent conditæ; verum

rum tantum efficiat, ut qui antea nonniſi canones erant eccleſiaſtici ſuadendi, nullâ ſanctione politicâ muniti, omni vi coactivâ deſtituti, (utpote quæ penes eccleſiaſticos nulla), jam adinſtar legum obligent ſingulos, in quos politice, ſi eos neglexerint, ſit animadvertendum. Hinc canones Synodi Dordracenę, ab eccleſiaſticis conditi dum ordinis præſes erat ſupremus Belgii magiſtratus, non in ullâ Provinciâ obligant, ut ſervari debeant, niſi ubi recepti & probati, uti in Provinciâ Ultrajectinâ, non in Friſiâ aut alibi. Atque hæc illa doctrina quam Theologi orthodoxi Belgii fœderati, una cum exteris, partim adverſus Pontificios, partim adverſus Remonſtrantes, & neutrales tenent homines; quorum illi peccant in exceſſu, dum nimis magnam auctoritatem tribuunt Synodis, & perſonis eccleſiaſticis; hi in defectu, dum omnem fere eccleſiaſticam poteſtatem ſupremo deferunt

deferunt magiſtratui, ſi modo cenſeant id ipſum è re fore ſuæ ſocietatis.

Verum ad alia Principis officia circa ſacra, relictâ circa canones diſputatione, progrediar. Et quidem conſideranda Principis cura, circa diei Dominici ſanctificationem; quem utpote divino cultui aſſignatum, publicâ ſic muniet auctoritate, ne quid operis prophani, aut ordinarii aut quotidiani, eo die peragatur; utque forenſia conquieſcant negotia. Idque congruenter juri canonico *Cauſ.* 15. *q.* 4. *per totum. c. fin. de feriis.* legibus juris civilis. *l. ſi feriatis* 6. *D. de feriis l. omnes dies* 7. *l. fin. Cod. eod.* nuperæ Regis Carol. 2. Declarationi. de *ann.* 1660. *Oct.* 25. Etiam conſtitutionibus Ordinum Friſiæ, qui prohibuere, ne diebus dominicis, Precum, vel jejunii; officinæ aperiantur, merces venum exponantur. Quin amplius prohibitum, ne coloni arent, metant; domeſtici, linteamina lavent,

vent, purgent ahenas, tam intra, quam extra privatos parietes, idque ſub pœnâ 12. Florenorum. *Stat. lib.* 4. *& p.* 55. *Conſt. Friſ. Ordin. de ann.* 1590. 10. *Decemb.*

Ut hic convincantur, vel ordinum decretis, laxi illi caſuiſtæ, qui hæc facile permiſerint, in quibus ipſi Ordines ſunt præciſi. vid. *Ordinat. Eccleſiaſticam Angl. Scot. Hibern. art.* 8. *& confeſſ. Synod. Angl. de ann.* 1647. *c.* 21. *n.* 7. 8. *Celeberrim. Hoornb. tract. de Sanctif. Sabbati. ubi varia Principum & Ordinum decreta huc facientia compilavit.*

Nonnulla tamen eo die fieri poſſe, & debere, vel inevitabilis urget neceſſitas, vel ſuadet charitas atque pietas. Eo quod illicitum in lege, neceſſitas faciat licitum. *Matth.* 12. *v.* 12. *Marc.* 2. *v.* 23. 27. *Luc.* 6. *v.* 1. 9. *& c.* 14. Quo an referri debeant illa opera, de quibus Imperator in *l.* 2. 3. *& ult. Cod. de Feriis. Tholoſ. Syntagm. jur. univerſ. libr.* 2. *c.* 16. 17. 18. addubitarem. Saltem hominem vulneratum curare, mulieri

lieri parturienti obſtetricari, extra omne dubium inter opera pietatis, & maximæ neceſſitatis, erunt referenda. Ut hic ſe peſſimos calumniatores oſtendant, qui nonnullos, quos illi Sabbatarios Judaizantes appellant, hoc ſtatuere ſcribunt, quaſi illa velint prohibita. Proferant vel ullum talia aſſerentem niſi mendaciſſimi haberi velint; adeoque cenſeant niſi mentiendo, ſuperari viros magnos, quibus invident, non poſſe.

Verum quo commodius exercitia haberi poſſint, (quo etiam retulere curam ſepulchrorum &c. *Nov.* 69.) loca publica, templa divinis officiis exercendis deſtinata, aſſignabit, & ſi neceſſitas id flagitet de novo conſtrui, aut refici quę conſtructa, curabit; in quibus publica vota pacifice & tranquille peragantur: *l.* 5. 7. *Cod. de his qui ad eccleſ conf.* 2. *Reg.* 12. *v.* 4. 5. *& ſeqq.*

Ita per Conſtantinum Imperatorem gentilibus adempta templa,

quæ

quę claudi juſſit, Chriſtianis vero eadem aſſignata & aperta. *l.* 1. *Cod. Pagan. Sacrif. Templ. Gothefr. ibid.* Quinimo idem imperator conſtituit, ut liceat Chriſtianis, vel ad templi fabricam, vel adminiſtrorum ſuſtentationem ſua relinquere, neve hic caſſa forent judicia; neve minor eſſet Chriſtianis libertas, quam olim Gentilibus fuit conceſſa, ſuâ conſtitutione proſpexit. *l.* 20. §. 1. *D. Annuis legat. l.* 1. *Cod. Sacroſ. Eccleſ.* Unde etiam poſtmodum introductum, ut ſi qui ędificandi templum poteſtatem impetraverat, morte pręventus, opus non perfeciſſet, onus ad hęredes tranſmitteret. Tantam ſcil. templorum curam habuere viri Principes. *Nov.* 131. *de Eccleſ. tit. c.* 7. *§. ſi quis autem. & c.* 10. Rejectis tamen & exploſis omnibus illis ritubus, quos adhibitos in templorum dedicatione poſt alios ſcribit, *Greg. Tholoſ. Part. jur. canonic. libr.* 1. *tit.* 4. *c.* 9. 10. 11. 12.

Id autem provide curarunt, ne quid

quid prophani operis in templis perageretur, maxime dum ſacris intentus eſt eccleſiæ miniſter. Idque ne orantium ac pſallentium mentes poſſint interpellari. *l. ſi quis* 10. *Cod. Epiſcop. & Cleric. l. denunciamus.* 5. *Cod. qui ad eccleſ. confug.* Ne quidem etiam extra tempus cultus, iis ibidem fieri permiſſis quæ honeſtati, aut decori adverſantur. Quædam tamen inibi vel pietatis ergo, vel cauſâ neceſſitatis fieri imperatores permiſerunt. Manumiſſiones enim factę ſunt in eccleſiis. *l.* 1. 2. *Cod. de his qui in eccleſ. Man.* Pupillis itidē tutor dari potuit, quolibet loco. *l.* 3. §. *quolibet loco. D. Tutel.* Etiam in templis propter hoſtiles incurſus, aut incendia repertina ſupellectilia recipi privatorum, moris eſt. Quod etiam juri canonum non incongruum. *c. fin. de Cuſt. Euchariſt.* Quandoque etiam in urbibus præſidiariis, propter imbrem, luſtrationes, & recenſiones militem in templis factas memini. Inſuper,

ſuper, exercitia nonnunquam, ne clam, aut privatim fiant, impediet. Præſertim illa turbabit conventicula, quæ confraternitatum veniunt nomine, quod potius coëpulonum ſint conventicula, quam congreſſus gratia divini cultus inſtituti. *Barboſ. ad l.* 15. *Cod. n.* 5. *de Epiſc. & Cler.* Ita enim diſſidia, turbæ, factiones evitabuntur, omniaque decenter peragentur. 1 *Cor. c.* 6. *v.* 12. & *c.* 10. *v.* 23. *Nov.* 58. *Nov.* 131. *c.* 8. *Nov.* 137.

Ut tamen, ſi bene conveniat inter Chriſtianos, privata exercitia haberi poſſint. *Joh. c.* 4. *v.* 21. & *ſeqq.* idque ex *Nov. Leonis* 4. & 15. Ceſſante enim ratione prohibitionis, ceſſat etiam prohibitio. *Everh. in loc. leg. loc.* 8. *Rittersh. ad* Nov. *p.* 1. *c.* 4. *n.* 7. *vid. Cujac. ad nov.* 50. *in epitom.* In Synodo tamen Mediob: *de ann.* 1581. *art.* 78. cautum, ne Sacramenta privatim adminiſtrarentur.

Maxime vero circa res Eccleſiæ ſollicitus eſſe debebit, tanquam Ec-

 cleſiæ

cleſiæ nutritius. *Eſai. c.* 49. *v.* 23. *Eſai. c.* 60. *v.* 16. Ne Eccleſiaſticæ expenſæ inter homines locupletes diſtribuantur, verum circa pios erogentur actus, & Deo placentes; neve uſus, aut uſufructus bonorum Eccleſiaſticorum alicui concedatur, niſi meliora, & majora in ejuſdem locum, Eccleſiæ relinquat. *l.* 14. *§. ſane ne omnis. Cod. Sacroſ. Eccleſ. l.* 42, 43, 44. *Cod. Epiſc. Nov.* 7. *c. ſi quid autem. Arg. Levit. c.* 27. *v.* 13. 15, 19, 27. *&c. Nov.* 3. *& in Epilog.* Memor capituli Carol. & Ludov. imperatorum. *libr.* 7. *c.* 105. *Eccleſiaſticarum rerum invaſiones vaſtationes ſacerdotum, atque ſervorum Dei oppreſſiones, vexationes cauſas eſſe regnorum & Principum interitus.*

Quandoque, ne Eccleſiis ultra modum bona, vel mobilia, vel immobilia relinquantur, cum detrimento Reipublicæ, providebit. Ut tamen miniſtris Eccleſiæ ſua ſuppetant ſtipendia, utque iis ſuppeditentur portiones jure divino debitę,

&

& aſſignatæ. *Arg. Exod. c. 36. v. 5, 6, 7. 2. Paral. c. 31. v. 4. Arg. l. 7. Cod. Sacroſ. Eccleſ. vid. Rittersh. ad Nov. p. 1. c. 6. n. 76.*

Occaſione cujus materię non incommode inquiri poterit: Utrum ſtatutum cenſeri debeat illicitum, quo cautum, ne bona ulla immobilia, per laicos, uti loquuntur in perſonas aut collegia eccleſiaſtica transferantur, ſine licentia ſuperioris? Reſp. Hæc quidem controverſia inter Pontificem Romanum, & Rempublicam Venetam fuit agitata. Et quidem pro Venetis, negantibus tale ſtatutum eſſe illicitum, ſtare non reformidarem. Bonum equidem publicum ſuadet, ne immoderatæ donationes, multo minus inordinatæ fiant cœnobiis aut monachis. Hâc enim ratione civitates, quę clericos, uti loquuntur, eximunt juriſdictioni ſeculari etiam ipſorum bona oneri tributorum, tandem collectis aliiſque juſtis ſubſidiis, deſtituerentur. Unde cum

legibus non adverſetur, ſuadente publica utilitate, eccleſiaſticos eorumque reditus, tributis, atque collectis gravari, non etiam juri diſcongruum erit, ſi huic incommodo tempeſtive occurratur. Unde etiam Carol. 5. conſtitutione irritante prohibuit, ne immobilia monaſteriis aliiſq; piis locis relinquerentur, citra impetratam amortizationem. *Arg. l. 1. D. Sol. Matrim. l. 7. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Arg. c. imperator. 96. diſt. c. pervenit. de Immun. Eccleſ. Peck. de Amortiz. bonor. Argentr. ad conſuet. Brittan. art. 346. Goris tract. 3. adverſ. c. 8. ibique varii. Gregor. Tholoſ. libr. 45. Synt. jur. c. 2. n. 8. Arum. diſc. de jur. Public. 9. n. 106. & ſeq. Molin. ad conſ. Pariſ. tit. 1. §. 41. n. 90. 91. 92. 93. 94.*

Et quia quandoque fraus fieri ſolet tali ſtatuto, in Belgio fœderato cautum, ne qui poſſident immobilia pſeudo-eccleſiaſtici, Pontificii, ea alienent extra familiam; idque jure merito. Licet enim quiſque ſit arbiter & moderator rei ſuę. Nec facile

cile cuiquam hominum, ne quidem per Principem jus ſuum auferri debeat. Quia tamen reſpublica eſt ſuprema domina, & rerum ſubditorum moderatrix. Etiam familiarum conſervatio ſuadet tale condi ſtatutum. Dicendum erit in eo nihil iniqui aut à juris ratione abſonum contineri. Arg. §. 2. *verb. dominorum quidem. inſt. qui ſui vel alien. jur. ſunt. junct. l. 6. Cod. Unde vi. l. ita vulneratus. verb. multa autem. D. ad l. Aquil. l. 21. Cod. Mand. l. 1. §. fin. Cod. Caduc. tollend. l. 17. §. 1. l. 18. Cod. de Haret. & Manich. l. utilitas. Cod. de Primip. libr. 12. Socin. Bald. Hippol. Aliique allegati apud Gail. 2. obſ. 32. n. 5. 6. 7. Arum. de jure public. tom. 2 diſc. 9. theſ. 111. & ſeq. Ritterſh. ad Nov. part. 1. c. 6. in fin. Conſtit. Ordin. Ultraj. de ann. 1644. Decembr. 17. Ego in tract. de Statut.*

Sectarios inſuper coërcebit vir Princeps ne publicum cultum exerceant, etiam ne conventicula habeant privatim, idque ſub pœnâ aliquâ pecuniariâ. *l. 2. in init. & fin. Cod.*

Summ. Trinit. Arg. l. 6, 7, 8. Cod. Pagan. Sacrif. l. 3, 5, 6, & 8. §. 3. Cod. de Hæret. l. 15. Cod. de Epiſc. & Cleric. Nov. 132. in init. & ſeq. vid. Arum. diſc. Acad. de jur. publ. part. 2. diſc. 12. ubi multa.

Unde non immerito quis quęſierit: Utrum illicita cenſeri debeant illa ſtatuta, quibus conventicula pro religionis, aut potius ſectę cujuſdam privato exercitio prohibentur? Reſpondeo; etſi conſcientiæ libertati præjudicium fieri non debeat, ut quæ nulli mortalium, verum ſoli Deo ſubjecta eſt. Quia tamen conventus agere plus eſt quam conſcientiæ libertate gaudere. Etiam intereſt quam maxime reipublicę tales conventus impediri, cœtuſque illicitos; ut qui reipublicæ tranquillitati officiunt, inque ſeditiones nonnunquam erumpunt. Dubitandum non amplius erit, quin talia ſtatuta licite condantur. *Arg. l. ita vulneratus. verb. multa autem. D. Ad l. Aquil. l. utilitas, Cod. de Prim. libr. 12. l. 2. in init.*

init. Cod. De Summ. Trinit. l. 3. 5. 6. *Cod. Hæret. & Manich. l.* 6. 7. *in fin. Cod. Pagan. Sacrif. Petrus Frider. Mindan. de Proceſſ. Execut. libr.* 1. *c.* 30. *Arum. diſcurſ. Academ. Public.* 12. *c.* 9. *n.* 20. *part.* 2.

In Sacrorum publicorum turbatores etiam quandoque animadvertet graviter, & injurias ſacrorum miniſtris factas, dum ſacris operantur, vindicabit. Cæteras autem injurias, miniſtris Eccleſiæ illatas quamprimum vindicari curabit, *nec exſpectabit, donec Epiſcopus propriæ injuria depoſcat ultionem, cui ſanctitas igno-ſcendi gloriam relinquit.* Ne tamen maledicentia illi facta ſit impunita, à quovis, injuriam illatam in judicium deduci patietur, *& de maledicis ultionem mereri*: idque propterea ne contemtus ſit impunitus. Id quod ſeverè monuerunt imperatores Carol. & Ludovicus in *capitul.* 300. *libr.* 6. *capitular.*

Omnibus fidelibus, omnibuſque ordinibus ſummopere cavendum eſſe, ne clanculo

aut publice unctum domini detractionibus & vituperationibus dilanient: perpendentes illud exemplum Mariæ, quæ eo quod Moyſi famulo Domini propter Æthiophiſſam detraxit, immunditia lepræ multata ſit. Et aliud Pſalmiſtæ. Nolite tangere Chriſtos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.

Ut tamen pœna, quæ jure civili capitalis, de moribus ſit arbitraria. *l.* 5. *l.* 10. *l.* 33. §. 5. *l.* 54. *Cod. Epiſcop. & Cleric. Nov.* 123. *c.* 3. *Authent. Sed novo jure Cod. Epiſc. & Cleric. capit.* Carol. & *Ludov. libr.* 5. *c.* 181. & 6. *c.* 113. *c. ſi quis ſuadente diabolo.* 17. *q.* 4. *Berlich. part.* 4. *concl.* 20. *n.* 28. *Menoch. arbitr. Judic. caſ.* 389. *Boerius deciſ.* 109. & 110. *n.* 10. *Teſſaur. deciſ.* 224. *de injur. Eccleſ. illatis. Barboſ. ad l.* 10. *Cod. Epiſc. & Cleric. Coler. part.* 1. *deciſ.* 178. *n.*1. *Mev. ad Lubec. libr.* 4. *tit.* 15. *art.* 2. *n.* 6. 7. Articulis tamen noſtris militaribus cautum eſt, ne quiſpiam militum quicquam proferat, in verbi divini contemtum, aut injuriam,

&contumeliam miniſtrorum verbi, etiam ipſo facto in ſacris non laborantium; gravi ſatis additâ pœnâ. Ut prima vice honorabiliter reparetur injuria illata, & per triduum carceri incluſus, tantummodo panis, & aqua delinquenti ſuppeditetur. Secunda vice, lingua perforetur ferro candente, & veſtibus exutus in exilium mittatur. *art.* 1. & 2. Utinam, uti par eſt, hæ ſervarentur conſtitutiones! Non adeo petulanter, & imprudenter, in miniſtrorum Eccleſiæ famam, graſſarentur homines maledici, in reformationem, & zelum per quam licentioſe tumultuantes.

6. Hæreticos itidem multis modis coërcebit, & intra modeſtiæ metas continebit. Ne tamen propter ſolam hæreſin ad ultimum deveniatur ſupplicium. Verum ut hic conſtet, quid jura circa hæreticos ſtatuerint, paucis ea omnia enarrabo. Et quidem jure Juſtinianæo, variæ in eos pœnæ ſtatutæ fuerunt. Ab

urbibus enim & Provinciis expelluntur, ſi quid attentaverint. Eorumque conventicula, & congregationes vetitæ ac illicitæ declarantur. *l.* 2. *in init.* & *§. fin. Cod. Summ. Trinit. l. cuncti.* 3. *Cod. Hæretic. l. Arriani.* 5. *l. Manichæi.* 12. *Cod. eod. Nov.* 37.

Samaritani baptizati, & ad ſuum errorem redeuntes, proſcribuntur, inque exilium mittuntur perpetuum. *Nov.* 144. *c.* 2. *de Samaritan. verb. ſed & ſi qui.* Ne illis à quoquam ad conveniendum locis detur expreſſè cautum. Deque locis aſſignatis confiſcandis & eccleſiæ orthodoxæ applicandis, illiſque, qui loca præbuerint, puniendis, leges latæ. *l.* 2. *§. fin. Cod. Summ. Trinit. l.* 3. 6. 8. *§.* 3. *Cod. Hæret. l.* 9. *Cod. Pagan. Nov.* 43. *c.* 4. *in med. Nov.* 131. *c.* 14. *Nov.* 132.

Etiam de Conductoribus, qui inſciis dominis loca præbuerunt, mulctis caſtigandis. *d. l.* 2. *l.* 5. *Cod. Epiſc. & Cleric. l.* 5. *Cod. Hæret.*

Domini autem temporales moniti,

niti, ſi ſinant hæreticos ſua agere, ditionibus ac dominiis privabuntur per *Auth. ſi vero Cod. Hæret.*

Ipſi vero Hæretici, ad officia publica, aut dignitates non vocabuntur, *l. probatorias.* 9. *ibidemque accurate Gothofr. in comm. Cod. de diverſ. offic. libr.* 12. *tit.* 60. *l archigerontes.* 5. *l. nemo vel in foro.* 15. *l jubemus.* 19. *l. nemo militet.* 20. *Cod. Epiſc. Audient. l. fin. l.* 19. *Cod. judic. l. fin. Cod. Poſtul. nov.* 37. *in Princ.* Quibus corrigitur *l.* 3. *§. fin. D. decurion. l.* 49. *Cod. eod. Martyr. claſſ.* 2. *loc. comm. c.* 4. *n.* 45. Ut tamen non ſint immunes à muneribus reipublicæ oneroſis, aut curiali fortunâ; licet iiſdem, quibus alii non gaudeant privilegiis. *Nov.* 45. Cum ſi quæ habeant, amittant. *l.* 1. *Cod. Hæret. nov.* 45. *nov.* 109. Unde & Advocato hæretico facto, patrocinandi adimitur licentia. *l. fin. Cod. Poſtul. l.* 15. *Cod. Epiſc. Audient.*

Uti ipſorum dogmata, ſic & libri damnantur, tanquam improbatæ

lectionis. *l. damnato* 6. *§. nec vero.* 1. *l. quicunque* 8. §. *nulli inſuper.* 5. *l.* 16. §. *fin.* Cod. *Hæret. l.* 10. Cod. *Epiſc. Audient.* Nov. 42. *de depoſitione Anthymi, Severi.* §. *ſit itaque & ipſe.* Quinimo ipſorum libri comburendi. Arg. *l.* 10. *Cod. Epiſcop. Aud. l.* 4. §. 1. *D. famil. erciſc. Actorum. c.* 19. *v.* 19.

Teſtimonium inſuper dicere prohibentur, adhibita tamen diſtinctione. *l. quoniam nulli judices.* 21. *Cod. Hæret.* Quin amplius ſunt inteſtabiles, id eſt, nec habent poteſtatem faciendi teſtamenti, nec quicquam ex aliorum diſpoſitione capiendi. *Nov.* 144. §. 1. *l.* 4. *Cod. Hæret. l.* 5. *in medio. Eod. l.* 3. *Cod. Apoſtat.* Exceptis ruſtica ſimplicitate deceptis *nov.* 144. *c.* 2.

Quibuſdam etiam contrahendi adimitur licentia adeoque ſuarum rerum alienatio & adminiſtratio. *l.* 4. §. *præterea. l.* 10. *l.* 12. *Cod. de Hæret.*

Niſi ipſorum liberi ſint orthodoxi parentibus non ſuccedunt. Si tamen

men liberis careant, etiamnum admittentur agnati aut cognati orthodoxæ religionis. *l.* 4. §. 19. *l.* 13. 17. §. 1. *l.* 18. 19. *Cod. Hæret. l.* 1. *Cod. Pag. Nov.* 115. *c.* 3. §. 14. *Nov.* 129. *Nov.* 144. *c.* 1. §. 1.

In liberorum educatione hoc ſervatur, ut ſi alteruter parens orthodoxus, ſequatur judex orthodoxi ſententiam. *l.* 12. §. 1. *Cod. de Hæret.* Ulterius urbe pelluntur, hæreticorum etiam nonnullorum memoria poſt mortem damnatur. *Auth. Gazaros. Cod. Hæret. l.* 4. §. *in mortem. Cod. eod.* Idem etiam de apoſtatis affirmatur, qui mortui intra quinquennium accuſantur, *l.* 2. *Cod. de Apoſtat.* quorum crimen ne quidem pœnitentia aboletur; quod in hęreticis ſecus erit. *l.* 3. *Cod. de Apoſtat. Authent. idem eſt, Cod. de Hæret.* Illi vero, qui hæreſes docent, eas ſpargunt, libros hęreticos ſcribunt vel edunt, ſi relapſi ſunt, ultimo ſupplicio afficiuntur. *l.* 5. *l.* 8. 21. *Cod. de Hæret. nov.* 45. Idem quod de Apo-

ſtatis ſtatutum. *l.* 5. *Cod. de Apoſtat.* vid. etiam de Judæis *l.* 18. *Cod. de Judæis.* Quam pœnam ſcriptores Pontificii mortem interpretantur. *Arg. l.* 21. *D. de Pœnis. Perez. Cod. de Hæret. n.* 3. *in fin.* Non tamen id facile admiſerim per *d. l.* 18. Ut nec omnes, de jure pœnas enumeratas facile probaverim, licet non ignorem in veteri teſtamento, pœna mortis in Idololatram, in prophanatorem Sabbathi animadverſum fuiſſe.

De conſuetudine, ignis pœnam adhibent Papales, non tamen ubique, per temporum injuriam, uti loquuntur. Ut eam tamen legitimam, ac debitam exiſtiment, moti *Johan. cap.* 15. *v.* 6. quo textu tamen nihil minus, quam quod intendunt aſſeritur *Perez. Author. Pontific. Cod. de hæret. num.* 3. *in fin. vid. hic. Danæum de Doctr. Eccleſ. c.* 42, 43, 44. *Theodor. Beza tract. de hæret. à civili magiſtrat. puniendis. Marſil. Patav. def. Pac. part.* 2. *c.* 10.

Quod

Quod ſi ſpectemus canonum poſteriorum jura, hæretici non tantum vivi excommunicantur, verum etiam poſt mortem reprobantur, excommunicantur, nec ſepulturę eccleſiaſticæ traduntur. *c. ad abolendum* 9. *c. excommunicamus*. 13. *& §. credentes. c. ſicut ait*. 8. *c. pen. de Hæretic. c. fin*. 24. *q*. 2.

Ad ſeculares mittuntur judices, ab eccleſiaſticis hęretici declarati: ut ultimo ſupplicio, id eſt morte, uti interpretantur, plecterentur. *c*. 10. *de Hæretic.*

Bona eorundem, adhibitâ diſtinctione fiſco applicantur, etiamſi liberos habeant orthodoxos, *c. urgentis* 10. *de Hæretic*. Si clerici, uti loquuntur, primum ab omni officio & beneficio removentur & quæ habent privilegia, amittunt. *d. § . credentes*. eccleſię dein eorum bona applicantur, in qua ſtipendia perceperunt. *c. excommunicamus*. 13. §. *damnati vero. de Hæret*. Eorundem liberi ad ſecundam generationem eccleſiaſticorum

benefi-

beneficiorum cenſentur incapaces. *c. 2. de Hæret. in 6.*

Societas & communio cum illis, vetita. *c. omnis qui credit.* 24. *c. quæ dignior domus.* 26. *cauſ.* 24. *q.* 1. *c. quis infidelis. verb. hoc. & de c. ſæpe malorum.* 28. *q.* 1. *à quo nec abſonunt jus divinum.* 2. *Johann.* 1. *v.* 10. *Tit.* 3. *v.* 10. *Rom.* 16. *v.* 17. 2. *Theſſal.* 3. *v.* 6. *Matth.* 7. *v.* 15.

Conſilia eorum & congregationes pro illicitis habita conciliabilis. *c. clericus.* 24. *q.* 3. Advocati eorundem, notarii, fautores, infamiâ notantur. *c. ſi adverſus.* 11. *de Hæretic.* Non admittuntur hæretici ad officia publica, nec ad conſilia ſunt vocandi. Etiam illis actio denegatur. In judicio itaque neminem conveniunt, ipſi tamen conveniri poſſunt. *c. cum quibus.* 24. *q.* 3. *c. excommunicamus.* §. *credentes. c. fin. de Hæret.* eorumque acta reſcinduntur. *c.* 1. *de frigid. & ordin.* Ut ſententiæ eorum damnantur, ſic & libri. *c. fraternitatis.* 4. *de Hæretic. c.* 6. *nullus anathemizat.* 3. *q.* 4.

Sunt

Sunt inſuper infames, quia excommunicati. *c. infames. 6. q. 1.* Unde etiam nec ad eligendos aliquos, nec ad teſtimonium admittuntur & ſunt inteſtabiles omni modo. *c. excommunicamus. §. credentes. de Haret. c. 1. definimus. 4 q. 1. c. pagani. 2. q. 7. c. ſi quis epiſcopus. 5. c. in eos. 6. de Haretic.*

Unde ſi judex ſit hæreticus ſententia ab eo lata nullius erit momenti: ut nec cauſæ coram eodem ſint ventilandæ. *c. ad probandum. 24. de ſent. & re judic.* Si advocatus, ei patrocinandi adimitur licentia. *d. §. credentes.* Ut tabellioni jus publicum faciendi inſtrumentum. *d. §.* Liberos ſi ſuſceperint, non eos ſunt habituri in poteſtate.

Oblationes ſi fecerint, eæ rejiciuntur. *d. c. excomm. §. credentes. vid. gloſſ. ad c. oblatione. 2. ad verbum dona. 90. diſtinct. c. minor. 17. q. 4. Tholoſ. Partit. jur. Canonic. libr. 2. tit. 6. c. 7. vid. & Azon. in Summ. Cod. de Haretic.* ubi eoſdem deſcribit.

7. Li-

7. Licet autem hæreticos coërcendi poteſtas, Principi ſit conceſſa, pœniſque variis eoſdem compeſcendi, non tamen ideo quenquam ad religionem amplectendam cogere poterit brachio ſeculari. *Arg. l. 6. Cod. Pagan. vid. tamen l. 2. 11. 13. 14. Cod. eod. nov. 148. Arg. c. 3. 9. de Judæis. c. ad fidem. 23. q. 5. c. de Judæis. Diſt. 45.* Ut conſcientiæ cunctis debeat eſſe libertas: quod nemini mortalium in conſcientiam dictamen, aut imperium. *1 Pet. c. 5. v. 3. Arg. 2. Cor. cap. 3. v. 3. 6. Concil. Toletan. 6. can. 56. Lactant. 5. divin. inſtit. c. 19. Tholoſſ. de Republ. lib. 12. c. 5. n. 12. Perez. ad tit. Cod. de Pagan. in fin. Groenew. de ll. Abrog. ad tit. Cod. de hæret. ibidemque varii allegati.* Neque obſtat. *l. 1. in init. Cod. de Sum. Trinit.* Ibi quippe tantum declarat Imperator quam religionem velit publicam eſſe, & exerceri propalam, *vid. Graſwinckel. adverſus p. Rebellum. p. 135. & ſeqq.* Unde Theodoricus apud Caſſiodorum 2. var. ep. 27. *religionem*

nem imperare non poſſumus: quia nemo cogitur, ut credat invitus. Et varior. 10. *epiſt.* 26. Rex Theobaldus Juſtiniano Imperatori: *cum divinitas patiatur multas eſſe religiones: nos unam non audemus imponere retinemus enim legiſſe voluntarie ſacrificandum eſſe domino, non cujuſquam cogentis imperio.* Et Tertull. ad Scapulam. *Non eſt religionis cogere religionem quæ ſponte ſuſcipi debet, non vi.* Secundũ illud *Bernardi in cantic. ſerm.* 66. *Fides ſuadenda non imperanda.* Quandoque tamen hoc ipſum fecerunt viri Principes; & Jehudæos nonnunquam in ſuis ditionibus habentes domicilium ad fidem & baptiſmum coëgerunt. Sic Heraclius Heracletæ filius Judęos invitos ad baptiſmum compulit. *in epitom. vitat. Caſar. apud Aurel. vict. in ejus vitâ,* Leo itidem iconomachus orientis Imperator anno imperii 6. Judæos ac Montanos ad Baptiſmum adegit. *Conſtitut. ejuſdem in l. 1. jur. oriental.* Idem feciſſe Siſebutum Hiſpaniarum regem colligitur

ligitur ex *c. de Judæis.* 45: *diſt.* diſjunctive tamen, ut vel baptiſmum ſuſciperent, vel excederent regno. Forte etiam ex *novel. Leonis* 55. coguntur, eo quod ſecundum Chriſtianiſmi ritus vivere teneantur. Nec abhorret jus canonicum caſu quo deficiunt ac deſerunt veritatem. *c. diſplicit.* 38. *cum ſeq.* 23. *q.* 3. Sicque Hungari à fide Chriſtianâ ad paganiſmum deficientes ſub pœnâ capitis Chriſtianiſmum retinere compulſi ſunt, ab Andreâ 4. Rege Hungarorum, ejuſque fratre Velâ. Quod ex Nauclero & Bonefidio libr. 2. refert *Gregor. Tholoſ. Titul. jur. canon. de Pagan. vid. Beſold. diſſert.* 1. *de Educ. litter. Peregr. c.* 10. *n.* 4.

8. Potius, quo omnis hæreſios occaſio evitetur, (quod etiam ab Imperatoribus Chriſtianis obſervatum fuit) caveat vir Princeps, ne de fide publicâ, turbis coadunatis, diſputetur publice & aliis audientibus diſceptetur, contendatur, id eſt in dubium trahantur bene poſita fidei

dei orthodoxæ fundamenta. Uti enim ſuper indubitatis reſponſum non petitur, aut conſilium; ita non oportet ea quæ certa ſunt, per conflictum in dubium deducere. Affectata quippe dubitatio ſæpiſſime occaſionem præbet, perfidiæ, ac tumultus. Nam qui ſe primum dubitare ſimulat, id poſtmodum, de quo dubitabat, negat, nihilque aliud quęrit, quam ut contendendo, ſuæ opinionis depravatæ nanciſcatur aſſeclas. Neque enim, de fidei capitibus dubitans, & ſe informari non patiens, multum abeſt ab hæreſi, ſi non hæreticis per omnia ſit connumerandus. Hinc pœna publicè contendentium, etiam coram tribus, ſi fuerint clerici hæc eſt, ut removeantur, & priventur cingulo, ſi alias liberi homines civitate pellantur, &extra ordinarie puniantur. Si ſervi ultimo ſupplicio afficiantur. *Arg. Jacob. c.* 1. *v.* 6. 8. *Hebr. c.* 11. *v.* 1. *Arg. init. inſtit. Codicill. l.* 4. *Cod. de Sum. Trinit. l.* 12. *in init. Cod. de Hæret. l.* 1. *de Hæretic. c.*

2. de Hæret. in 6. Et certe ſi ſacrilegii inſtar eſt, de jure Principis dubitare, aut diſputare velle, multo magis ſacrilegio proximum erit, de iis ſtudio contendere, quæ Dei verbo infallibili ſunt præſcripta. *l. 1, 2, 3. Cod. Crim. Sacril. l. 5. Cod. de diverſis reſcript.* Ut hic locus eſſe debeat vulgato Doctorum: In claris non admittitur diſputatio. *Cravett. Conſil. 232. num. 1. Placent. Cod. Sum. Trinit. in fin.* Secundum illud Philetæ ita verſi:

Deum eſſe crede & colito, ſed non quærito,
Nam nihil habebis aliud hic, quam quærere.

Vid. Rittershuſ. in Salvian. p. 71. Beſold. Synopſ. Politic. libr. 2. c. 1. n. 17.

9. Ut & ideo librorum, pernicioſiſſimas hæreſes continentiū, lectiones, quæ ad dubitationē impellunt, eorumq; communem uſum recte interdixerint imperatores, ſub pœna publicationis bonorum. *l. 3. §. 2. Cod. de Sum. Trinit. l. 6. §. 1. Cod. de Hæ-*

Haret. Neve eorum ullum publicum eſſet commercium, ut qui malos in propoſito peſſimo ſtabiliunt, & pias mentes, quantum nimium offendunt. *d. l.* 3. *§.* 1. *&* 3. *d. l.* 6.

10. Non tamen eo ipſo cenſebitur illicitum, coram populo de rebus fidei publicæ diſputare, quo convertantur hæretici, Judæi, Pagani, & ne ſilentium orthodoxorum, adverſarios reddat audaciores, ancipites & dubios reddat magis tales. Nec improbanda inter pios, diſcendi docendique cauſâ, ad reprobandos & convincendos errores, dubia proponendi methodus. Quin imo ea ipſa laudanda & ſummopere commendanda eſt Chriſtiano ut etiam Fabiano laudata fuit in *l.* 23. *Cod. Epiſc. & Cleric. vid. & l.* 15. 29. *Cod. Eod. Barboſ. coll. in Cod. ad l.* 3. *de SS. Trinit. n.* 2. *Azo in Summ. Cod. de Sacroſ. Trinit. n.* 8.

Id quod congruum, & conveniens eſt monitis, & exemplis ſacro codice traditis, & exhibitis. *Actor. c.* 17.

c. 17. *v.* 11. *Luc. c.* 24. *v.* 14, 15. *Rittersh. ad nov. p.* 1. *c.* 2. *n.* 16. *Gothefr. in comment. ad l.* 4. *Cod. de Sum. Trin. Perez. Cod. Eod. n.* 2. & 3. Ut multo minus ſacrarum litterarum ſeria lectio plebi illiteratæ ſit deneganda, ut quæ ſola animum informat, & lucerna eſt pedibus noſtris. *Pſ.* 119. *v.* 105. Nam ſi audiendum verbum Dei, etiam legendum erit. Cum plus forte in audiendo, quam in legendo, periculi. Id quod Hieronimus ad Athletam, de filiæ-familias educatione, multis commendat. *Pro gemmis, & ſerico divinos codices habeat, diſcat primo Pſalterium, in Proverbiis Salomonis erudiatur ad vitam. In eccleſiaſte conſueſcat, quæ mundi ſunt calcare. In Job, virtutis, & patientiæ exempla ſectetur. Ad euangelia ſe transferat, jamque ea poſitura de manibus, Apoſtolorum acta, & Epiſtolas tota cordis amabit voluntate. Cum pectoris ſui cellariam iis opibus locupletaverit; mandet memoriæ Prophetas, Pentateuchum, Regum, ac Paralipomenon libros, Eſræ quo-*

quoque, & Eſther volumina. Ad ultimum ſine periculo diſcat Canticum Canticorum, quod ſi in exordio legerit, ſub carnalibus verbis, ſpiritualium nuptiarum Epitalamium non intelligens, periculum eſt ne vulneretur. Caveat omnia Apocrypha, & cætera quę ſequuntur. Et Athanaſ. *in libr. de virginit. Ne recedat,* inquit, *Sermo Dei ab ore tuo. Sit ſemper opus tuum, Scripturarum meditatio. Habeto Pſalterium, ac Pſalmos ediſce. Sol exoriens videat librum in manu tuâ. Coraſ. ad l. cunctos populos. n.* 11. *Cod. de Sum. Trinit.*

11. Verum an unquam Principi conceſſa cenſebitur facultas, Eccleſiæ miniſtrum, ſeu Epiſcopum loci eligendi Eccleſiaſticè? Non equidem. Ne quidem ſi ſalaria, vel alimenta tribuerit Epiſcopo. Neque enim ea de ſuo tribuit, ſed vel de bonis Eccleſiaſticis, quorum eſt defenſor, & adminiſtrator legitimus, vel de publicis, de bonis ſubditorum. Præterquam, ſi de ſuis reditibus ſtipendium Epiſcopo aſſignaret,

ret, non ideo jus electionis in ſe tranſtuliſſet. Quia quod jus ſoli Eccleſiæ à Deo conceſſum eſt, id etiam, ei volenti, ne quidem ex pacto, auferri poteſt. Nam pactis hominum, quod divini, adeoque publici juris eſt, lædi non poteſt. *Arg. l. 1. §. hujus. verb. publicum. D. juſt. & jur. l. 38. D. de Pact.* Accedit, quod jus eligendi, conceſſum Eccleſiæ, ſit privilegium Eccleſię perſonale, id quod in alium, transferri nequit. *Arg. l. 1. infin. D. Conſtit. Princ. l. 19. D. Reg. jur.* Præterquam, quod ſpeciem ſaperet Simoniæ, jus Eccleſiæ ſingulare, ære inſcribere vel transſcribere velle. Et ſi turpe judicatur auro patriā divendidiſſe, longe turpius cenſebitur, Eccleſiæ jura proſcribere, vel venum exponere. Ne dicam illam eligendi prærogativam, Eccleſiæ tributam rem eſſe ſanctiſſimam. Hanc ipſam eſſe Eccleſię libertatem; quæ ut pretio nummario æſtimari non poteſt, ita in commercio eſſe non debebit.

Arg.

Arg. *l.* 106. *D. Reg. jur. l.* 1. §. 5. *D. de Extraord. Cognit.* Unde eleganter Imperatores Carolus & Ludovicus libr. 1. capit. 84. *Sacrorum canonum non ignari, ut in ejus nomine ſancta eccleſia ſuo liberius potiretur honore, ad ſenſum ordini eccleſiaſtico præbuimus, ut ſcilicet Epiſcopi per electionem Cleri & populi, ſecundum ſtatuta canonum de propriâ diœceſi, remotâ perſonarum & munerum acceptione, ob vitæ meritum & ſapientiæ donum eligantur, ut exemplo & verbo ſibi ſubjectis uſque quâque providere valeant. vid.* Renat. *Choppinum de Sacrâ Politiâ. libr. 1. tit. 2. n. 9. & ſeqq.* ubi violari aliter ſacram Politiam ſcribit. Neque huic aſſerto obſtat. *Nov.* 123. *c.* 18. *Nov.* 57. *c.* 2. Non enim ibidem agitur, de Epiſcopo eligendo, ſed nominandis perſonis ad ordines minores. Verum de hiſce omnibus, in ſequentibus, latior peragrandi campus erit apertus.

Negari tamen non poterit ſecundum jura civilia, & canonica, quan-

doque electioni epiſcopi viros Principes interfuiſſe. Idque non ad neceſſitatem aut potentiam oſtendendam factum eſt, quam quidem ad firmandam fidem, & auctoritatem eidem accommodandam. Maxime propter hæreticos ſeditionis ac ſciſmatis tollendi gratiâ. Cæterum iidẽ viri Principes eccleſiaſticorum cętuĩ capitula religionis decidenda relinquebant. *c.* 2. & *c.* 3. *diſt.* 96.

Nonnunquam tamen auctoritate Principis loca aſſignata fuere epiſcopis; ubi antea nulli fuerant. Quod nihil aliud erat quam permittere hoc ipſum eccleſiæ, ut eligantur. Quandoque eccleſia jus ſuum (quod tamen non recte) in Principem transferebat ad tempus, ſi forte eam tutatus fuiſſet Princeps. Forte & ideo, quod intereſſet Principis, ne quis ſeditioſus, vel hoſtis regni eligatur. Quandoque Principibus electio repreſentata, ut ab iiſdem electio roboraretur, idque ad coërcendam vim hæreticorum. Quandoque aſ-

ſentatores Aulici Principi ad blandientes, jura non debita Principi detulerunt. Id quod etiam noſtris accidere temporibus negari non poteſt; quibus, nonnulli, qui Diotrephes eſſe cupiunt, adeoque cæteris, qui pietate, doctrina excellunt, imperitare, hoc agunt, ut illis placeant, qui jugum eccleſiis imponere ſatagunt. *vid. c.* 2. 3. *diſt.* 96. *c.* 7. *c. Agatho.* 21. *c.* 22. *c.* 23. §. *item. c. cum longe* 25. *diverſ.* 3. *c. hinc eſt etiam* 16. *q.* 1. *Conſil. Baſil. Pragm. ſanct.* §. *verum tamen ſi forte. de Election. ad c. vota.* 27. §. *Principibus. c.* 28. 63. *diſtinct. Nov.* 11. *de Privil. Archiepiſc. Balſam. ad c.* 16. *Concil. Carthag.* Id vero certum eſt primis & ſimplicioribus temporibus Principis auctoritatem deſideratam non fuiſſe. Uti & iiſdem temporibus eccleſiis ea jura relicta, quæ nec ſibi voluere tributa pientiſſimi imperatores. Ita Valentinianus Imperator de epiſcoporum electione cognoſcere noluit. *c. Valentin.* 3. 63. *diſt.* Alii illi conſuetudini, de Prin-

cipe, in electione adhibendo, utpote juri divino adverſę, lubentes renunciarunt. *c.* 30. *c.* 34. *diſt.* 63. *vid. Tholoſ. tit. decret. de Elect. c.* 6.

12. Unde nec etiam Imperatoris erit Epiſcopum eccleſiaſticè deponere, aut ab officio removere. Ejus enim eſt ſolvere, cujus eſt ligare. Ut ejuſdem ſit Epiſcopum rejicere, cujus eſt eligere vel conſtituere. *Arg. Nov.* 15. *c.* 1. *§.* 1. *nov.* 42. *per totam.* Ut id ſolius debeat eſſe Synedrii aut Claſſeos aut Synodi. *ordin. eccleſ.* de ann. 1618. 1619. art. 79. 80. Licet forte hic pluſculum ſibi ſumpſerint imperatores. *l.* 3. *§.* 4. *Cod. Sum. Trin.* Quod parum abeſſe ab intolerabili tyrannide ſcribit *Balduin. in caſ. conſc. lib.* 5. *c.* 5. *caſ.* 12. *vid. Duaren. de benef. Eccleſ. lib.* 5. *c.* 4. *verb. quamvis autem. Maſtrill. deciſ.* 71. *n.* 12. *Rittersh. ad* Nov. *p.* 1. *c.* 7. *n.* 105. *Vant. de Nullit. Cujac. ad c.* 2. *&* 3. *de Sent. & re judic.* Et quemadmodum Imperator à Deo conſtituitur, non ab Epiſcopo, nequidem Ponti-

fice

fice Romano. *l.* 1. *Cod. de ſum. Trinit. ibique Barboſ. collect. n.* 5. ita etiam; nec ab imperatore Epiſcopus conſtituitur, ſed à Deo; ut eundem Imperator removere nequeat. *Capit. Carol. & Ludov. l.* 1. *c.* 147. Uterque tamen conſtituitur mediatè, miniſterio ſcilicet hominum intercedente. Ut & uterque à Deo mediate removeatur, id eſt ab iis, quibus illam ſuo verbo Deus facultatem conceſſit. Nec multum hinc diſcedit capitulũ *Carol. & Ludov.* impp. quod eſt *libr.* 1. *c.* 147. *quo mandat, ne ullus laicus presbyterum in eccleſiâ mittere, vel ejicere præſumat, niſi per conſenſum epiſcopi.*

Quin tamen Epiſcopum, ut civem malum & inutilem propter aliquod crimen Politicum, ejicere valeat Princeps, Reformati non abnuunt. *Arg.* 1. *Reg. c.* 2. *v.* 26, 27. *coll. cum* 1. *Reg. c.* 1. *v.* 7. vid. inſignem deductionem, huc facientem, Deputatorum Synodi Friſiæ, quam D. Cabeljavius c. 3. ſui tractatus de libertat. Eccleſ. exhibuit integram.

13. Quid ſi tamen per Principem alicui munus vel officium, eccleſiaſticum puta vel Academicum vel aliud quippiam, ſit conceſſum, an à Principe concedente, id ipſi cui conceſſum eſt, ſine cauſâ poterit adimi? Non equidem.

1. Quia nihil noſtrum ſine facto noſtro, ad alium transferri poteſt. Et jus alicui quęſitum, ei invito, auferendum non eſt, ne quidem interveniente Principis reſcripto; quod quia iniquum eſt, non tenebit. Ut ſi tale quid fiat publicæ gratiâ utilitatis, quæ privatorum commodis eſt anteponenda, quod damni hinc cuidam illatum, alio quo commodo, vel utilitate compenſandum veniat. Quæ etiam eſt ratio, ut ne quidem feudum, à Principe profectum, & vaſallo conſtitutum, ſine ejuſdem vaſalli voluntate alienari, vel in alterum quocunque id fiat titulo, transferri poſſit. 1. *feud.* 22. §. 2. & 2. *feudor.* 27. §. 2. §. *ult. verb. nec cuiquam. inſtit. qui ſui vel alien. jur. ſunt. l.*

2. §.

2. §. 5. & 10. D. Ne quid in loc. Public. l. id quod noſtrum. 11. D. de Reg. jur. l. 2. 3. 7. Cod. Precibus imperat. offer. l. 10. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l. ult. Cod. Locat. Prad. civil. libr. 11. 1. Reg. cap. 21. per totum. Ezech. cap. 45. v. 7. -- §. ult. inſtit. de donat. l. Antiochenſium. D. Privileg. credit. l. ſi quando. l. ſi ædificia. Cod. Operibus public. l. venditor. §. ſi conſtat. D. Comm. Prædior. l. 2. Cod. in quibus cauſ. ſervi pro præm. libert. accip. Cravett. conſil. 172. n. 3. & conſ. 592. Fachin. 8. controv. 63. Gail. 2. obſ. 55. Mynſ. 5. obſ. 92. Vaſq. 1. Illuſtr. contr. 5. n. 8. Pinell. in init. Rubric. Cod. de Reſcind. Vendit. c. 2. n. 1. Gabriel. de jure quæſito nemini aufer. Chriſtin. 1. deciſ. 130.

Ut nemo jure ſuo ſi publica deſit utilitas, ſine ſua culpâ ſit privandus. l. crimen. D. de Pæn. l. ſancimus. Cod. eod.

Quæ non præſumitur, ſed probari debet. Cum quiſque intelligatur bonus donec contrarium probetur. Hippol. de Præſumpt. litt. c. p. 104. & litt. q. p. 276.

Paria quippe ſunt in jure cauſam non ſubeſſe, vel nõ apparere, vel non probari. *Barboſ. Axiom. litt. N. n.* 25. 26.

Ut multo minus delictum vel crimen ſit pręſumendum. *per ll. & DD. apud d. Barboſ. litt. D n.* 16.

Cum ubi qualitas eſt intentionis fundamentum, eam quilibet probare debeat. *Barboſ. ad lit. I. n.* 27.

Tumque maxime, quando qui intendit, adverſus proprium venit contractum, ſeu jus quæſitum ex contractu. *Gabriel de jure quæſito non aufer. concluſ.* 3. *n.* 13. *p. mihi* 1239. *poſt Abbat. in conſil.* 3. *in* 27. *quæſt. vol.* 2. *Bertrand. in conſil.* 15. *n.* 4. *vol.* 1.

2. Quin imo ſi Princeps alicui ex merâ liberalitate, mero beneplacito conceſſerit munus, aut officium, æquum non eſt, decorum non eſt, ut hoc ipſum revocetur. Cujus enim os divinum eſt, is neſcit pœnitenda loqui. *l.* 1. §. 6. *Cod. vet. jur. Enucl.* Et cujus vox, veluti Dei vox eſt, eum oportet eſſe immutabilem. *Burgund. ad conſ. Flandr. tract.* 9. *n.* 19.

Cum-

Cumque privatorum culpanda veniat levitas, donationes revocare cupientium. *l.* 7. *Cod. Condict. ob cauſ. dat.* Et in Principe maxime requiratur dictorum factorumve conſtantia. *l. inter claras. Cod. de Summ. Trinit.* Quod nemo Principali auctoritate ſit circumſcribendus. *l.* 1. *Cod. Qui veniam ætat. impetr.* Maxime beneficium in aliquem à Principe collatum oportebit eſſe perpetuum. *Imbert. Enchir. jur. Gall. in verb. Abbas.*

3. Unde ſi alicui abſolute donaverit titulum, dum creat doctorem, donaverit aliquod munus, puta Satrapiam, aut ſimile quid, id revocare non poterit. Donationes quippe jure gentium irrevocabilem obtinent vigorem. *l.* 1. §. 1. *D. de Precario.* Et nonniſi ex cauſâ ingratitudinis in donatorem poterunt revocari. *l.* 10. *Cod. Rev. Donat. Gabriel loc. all. concluſ.* 7. *num.* 3. Principem vero juri gentium exemptum non eſſe in ſequentibus docebitur.

4. Quod equidem multo minus

poterit, ſi aliquid ſit conceſſum alicui per modum remunerationis meritorum. Id enim præſtitit Princeps, ad quod naturæ & honeſtatis lege tenebatur. *l. etſi* §. *conſuluit. D. Pet. hæredit. l. ſub pignore.* §. 54. *D. de Eurt.* Ut ſi caſu præcedenti ceſſet revocatio, hoc caſu ceſſare debeat multo magis. *Arg. l. pen.* §. 1. *D. Donat. l.* 32. §. *mulier. D. Condict. Indeb. Baldus in l. qui ſe patris Cod. Unde liberi. per legem. ſi cum mihi. D. de dol. & not. per Bartol. in l. quod ſemel.* 5. *D. de decret. ab Ordin. faciend. Franciſc. Lucan. tractat. de Fiſco ejuſque Privil. p.* 107. *n.* 5. *Imbert.* 1. *inſtit. Forenſ.* 16. *Rebuff. ad conſtit. Reg. tract. de mat. Poſſeſſ. art.* 4. *n.* 5. 6. *Mornac. in l. ſed & ſi.* 25. §. *conſuluit. D. Petit. Hæred. Burgund. ad Flandr. tract.* 9. *n.* 20. *Anton. Matth. diſp.* 10. *de Obligat. n. pen.*

5. Idem quod ſtatuendum ſi recepta pecuniâ, vel per modum tranſactionis, munus ſit tributum. Quod tum tranſiret in contractum, ultro citroque obligatorium. *Roman. ſingul.*

gul. 463. *apud Baldax. de Angel. ſuper l. quicquid.* 5. *Cod. de Advoc. diverſ. judicior. Maſtrillus deciſ.* 263. *n.* 9. *part.* 3. *Gabriel. comm. concluſ.* 5. *n.* 1. *Peregrin. de jure fiſc. libr.* 1. *tit.* 3. *n.* 45.

6. Minime itaque hoc poterit Princeps, ſi alicui tum temporis non ſubdito munus ſit delatum, per modū contractus. Cum enim Princeps naturæ ac gentium jure ſolutam non habeat poteſtatem, non aliter atque quilibet privatus ex pactis & conventionibus quæ juris ſunt gentium tenebitur *l.* 1. §. 1. *D. de Offic. Procur. Cæſar. l. Cæſar. D. de Publican. l. pen. Cod. Donat. inter vir. & uxor. l. bene à Zenone. Cod. quadrienn. Præſcript. l.* 2. *Cod. locat. Præd. civil. libr.* 11. *Zoeſ. D. de leg. n.* 37. Grave quippe nimis eſt fidem fallere. *l.* 1. *D. conſtit. Pecun.* Quæ etiam hoſti ſervanda. *l.* 5. *D. de Pact. c. noli.* 23. *q.* 1. Et maxime improbandum, aliquem Principali circumſcribi auctoritate. *l.* 1. *Cod. qui ven. ætat. impetrav. Qui neſcit pœnitenda loqui,* ut *qui proferenda prius ſuo*

tradidit examini. Caſſiod. 10. *varior.* 4. *Baldax. de Angel. in Prato ſuper libr.* 2. *Cod. Ad l.* 5. *de Advoc. diverſ. judicior. per* DD. *ad l. digna vox. Cod. de leg. Gabriel comm. opinion. Concluſ.* 1. *de jure quaſito non tollend. p.* 1233. *n.* 6. *poſt Decium in conſil.* 410. *n.* 22. *Peregrin. de jure fiſci libr.* 1. *tit.* 3. *n.* 44. *& ſeqq. Peck. ad c. decet.* 16. *n.* 2. *& c. quod ſemel. n.* 6. *de Regul. jur. in* 6. *Merula Prax. civil. libr.* 1. *c.* 2. *tit.* 4. *n.* 4. *ibique varii.*

7. Unde etiam multo magis indubium eſt, Principem beneficium tale revocare non poſſe, quod alicui ex contractu conceſſum eſt oneroſo. Vel quia conceſſum eſt ex aliquo officio, quod eſt loco pretii: cum induſtria & opera alicujus quandoque plus conferat, quam pecunia. *l.* 29. *§.* 1. *D. Pro ſocio.* Vel quia conceſſum eſt, propter aliquod officium, quod quis in ſe implendum ſuſcepit. Et quamvis ab initio non conferre erat Principis, adeoque meræ libertatis, poſtquam tamen collatum eſt, & ab al-

terà

tera parte ſuſceptum, incipit eſſe neceſſitatis, adeoq; revocari non poterit. Niſi tamen qui revocat, ei qui damnum hinc patitur, præſtet id quod intereſt. Idque exemplo mandati. *l.* 8. §. *mandati. D. Mand.* Neque enim cuiquam ſuum officium debet eſſe damnoſum. *l.* 7. *D. Quemadm. Teſtam. aperiunt.*

8. Id quod quam maxime locum habet in caſu, quo quis à Principe ſollicitatus eſt, ut officium aut munus novum in ſe ſuſciperet, ſtatione non minus honeſtâ, derelictâ vel repudiata honeſte, quam ea eſt, ad quam vocatur; adeoque depoſito munere priori quod alibi obtinebat. Res quippe tum amplius integra non eſt, & ſtatim ejus intereſſe cœpit, qui non ſponte, ſed rogatus, ſollicitatus, aliquod munus honeſtum depoſuit, amplectendo novum, ſibi ſub honeſtis conditionibus oblatum. Ut qui tunc vocatum illo munere exuere conatur, id quod ejus intereſt, præſtare jubeatur.

9. Certi

9. Hinc certi juris eſt neminem qui ad publicum munus vel eccleſiaſticum, vel Academicum vocatus eſt, & quidem vel Principis juſſu & approbatione vel ordinis decreto, id eſt, decreto cujuſdam Senatus, dimitti poſſe indignum, ſi non ſe illo munere præbuerit, *l.* 2. *Cod. de Prof. & Medic. lib.* 10. *& l.* 8. *Cod. eodem. l.* 6. *§.* 4. *D. de Excuſ. Tutor. l.* 12. *Cod. de Dignit. libr.* 12. *Perez. ad tit. Cod. de Domeſtic. & Protector. n. ult.*

Intantum etiam, ut ſi nequeat propter aliquod impedimentum munere ſuo defungi, idque ſine ſuâ culpâ, integrum nihilominus percipiat honorarium vel ſalarium. Idque exemplo ejus, qui operas ſuas locavit. *l.* 38. *D. locat. Perez. Cod. de Profeſſor. & Medic. n.* 9. Unde ſi per ipſum non ſtet, quo minus ſuas præſtet operas, quod promiſſum eſt debebitur. *Gail.* 1. *obſ.* 44. *n.* 12. *poſt Mynſing. cent.* 3. *obſerv.* 7. *&* 8. Id quod in ordinario procedere, ut qui in perpetuum eſt electus, aſſerit *Pe-*

rez.

rez. loc. allegat. Unde ſi cui muneri ex poſt facto conditio adjiciatur quæ in ingreſſu appoſita non fuerat, licet eam implere recuſet officiarius, deponi non poterit. Quod nulla ſit ejus culpa, verum adverſarii qui novam legem contractui dicit invita parte adverſâ. Contra naturam conventionis, quę eſt duorum non unius, in idem placitum conſenſus. *l.* 1. *D. de Pact.* Maxime ſi illa conditio, quam quis velit appoſitam, bonis moribus & divino verbo, ſit adverſa. *l.* 15. *D. Condit. inſtit.*

Ratio generalis in promptu eſt. Quia qui alicui aufert officium, idque ſine juſta & rationabili cauſâ, is lædit ipſius exiſtimationem; adeoque plus aufert, quam dedit. Quælibet enim deſtitutio notat apud probos & graves viros. *Argum. l. teſtamento.* 51. *in fin. ubi gloſſ. & DD. D. Manumiſſ. Teſtam. Sand.* 5. *deciſ. tit.* 10. *def.* 2. Gravare autem poſſum neminem, quem non honoro. *Vaz. Barboſ. Axiom. litt. G. n.* 15.

15. *Bartol. in* 1. *conſt. D. n.* 5. *& in l. in fin. Cod. Si contr. jus vel utilit. & in l.* 37. *D. Reb. amit. judic. poſſid. Zaſ. vol.* 2. *conſil.* 10. *n.* 7. *Caſtil. Sotomajor.* 3. *quotid. jur. controv. c.* 6. *Nevizan. conſil.* 23. *n.* 8. *Zaſ. vol.* 2. *conſil.* 10. *Coler. in Proceſſ. execut. p.* 2. *c.* 3. *n.* 330. *& ſeqq. vid. Rauchbaer. quæſt. jur. Saxon. & civ.* 11. *part.* 11.

Accedit & altera ratio, quia quod ſemel probatum eſt, ſine cauſâ reprobari non poteſt; adeoque ſemel ad officium electus, atque vocatus, ejici ſine cauſâ, quinimo ne quidem pendente accuſatione, poterit. *l.* 9. *D. Negot. Geſt. l. quod ſemel.* 5. *D. de decret. ab ordin. faciend. l. libertus in §. in quaſtionibus.* 12. *D. ad Munic. Sand. loc. alleg.*

Et uti mandatum quod aliter eſt voluntatis in initio, ex poſt facto revocare nequit dominus, ſi mandatarii intereſſe cæperit. *§.* 9. 11. *inſtit. Mand.* Ita nec officium alicui impoſitum, qui illud deſertâ honeſtâ ſtatione amplexus eſt, quia ejus intereſt quam maxime. *Arg. l.* 6. *§.* 1. *D. offic. Proconſ.* CA-

CAPUT SECUNDUM

SECTIO PRIMA.

1. *Quanam contemplatione pia cauſa relicta dicantur?*
2. *Recte aliquid relinqui cauſa pia probatur.*
3. *Ejus adminiſtratio Eccleſiaſticis poteſt competere.*
4. *Pauperibus relicta, non ſunt relicta perſonis incertis.*
5. *Valent etiam, quæ teſtamento imperfecto, pia cauſa ſunt relicta.*
6. *Relicta Clericis, aut pauperibus, non perſonæ, ſed Collegio relicta cenſentur.*
7. *Idem quod dicendum, ſi Præſidi Collegii aliquid ſit relictum, adhibitâ tamen diſtinctione.*
8. *Quod relictum propter exercitium, illo ceſſante non debetur.*
9. *Quæ Deo relicta, varium ſunt generum.*
10. *Et vel mobilia, vel immobilia.*
11. *Temporalia ab Eccleſia poſſideri poterunt.*

12. O-

12. *Omnia Eccleſiæ debita, licet citra neceſſitatem, id eſt, ad abundantiam eſſent relicta.*
13. *Nec ea ſunt Principis, aut alicujus privati, jure proprietatis.*
14. *Objectiones removentur.*
15. *Nihil intereſt, quomodo aliquid ſit relictum Eccleſiæ.*
16. *Nec poterit, quod relictum piæ cauſæ, in uſus privatorum, citra neceſſitatem transferri.*
17. *In uſus tamen analogos, & pariles converti poterit.*
18. *Neque enim conditio fini appoſita præciſe eſt adimplenda.*
19. *Etiam aliquo caſu, bona Ecleſiæ ad uſus non pios transferunt.*
20. *Etiam quandoque divendi poterunt.*
21. *Et quidem ad inſtar bonorum minoris.*
22. *Quod quibus modis, & caſibus accidat, explicatur.*
23. *Ut tamen ordo ſit ſervandus.*

PRęmiſſâ Viri Principis circa ſacra poteſtate, alterâ hujus tractatuli par-

partem aggrediar, quę erit de bonis, relictis favore, & contemplatione piæ cauſę. Ubi quid jus Cęſareum, congruenter juri Scripturario, vel hoc, aut illud tantum dictet, circa relicta, adminiſtrationem, alienationem bonorum, paucis exhibere atque delineare conſtitui. In neutro tamen ſaltaturus ſum extra chorum; eo quod tota hæc materia non minus fori ſit Juridici quam Theologici, uti loquitur D. Mareſius allocutione ad lectorem. *in Reſponſ. Neceſſariâ de Canonic. vindic.*

Id quod eo lubentius adnotare volui ne vel hic, vel alibi mihi objecerit, (quod illi infrequens non eſt ubi nihil habet, quod reponat) quaſi in alienam meſſem falcem immittam. Parum tamen ſui dicti memor erat vir ille memorialis cum fol. 5. illius libri ſcriberet, cauſam canonicorum non eſſe fori Theologici, verum ad rempublicam ſpectare. Quod ſi verum fuiſſet, ei ſemet immiſcere non debuiſſet, licet

rogatus,

rogatus, ne vitium ἀλλοτριοεπισκόπου incurrere videatur. Verum rem ipſam explicandam aggredior homine illo prophano, laxo theologo, ſibi ſuæq; conſcientię, Deoque judici & vindici relicto.

1. Per ea, quæ intuitu, ſeu reſpectu piæ cauſæ ſunt relicta, intelligo omnia, quæ Deo, ejuſque cultui, id eſt Eccleſiæ; quæ Chriſto, id eſt Pauperibus, quæ in redemptionem captivorum, inſuper quę orphanotrophiis, aliiſque piis uſibus, & charitatis operibus ſunt dicata, aut deſtinata, aut oblata, aut conſecrata; id eſt ab uſu communi, vulgari, prophano, ad uſum ſpecialem, peculiarem pium religioſum, ſeparantur, ſegregantur, eique applicantur & inſerviunt. Quæque homines divino cultui, cauſæ Dei id eo impendenda voluerunt, ut aliquod teſtimonium ſui erga Deum obſequii à quo omnia largâ manu acceperunt, ſupereſſet. Quæque ideo vero Deo accepta, quod in recognitionem ſuperioris

perioris dominii (unde forte jus decimarum) illi ſint oblata. *l. Generali lege.* 13. *Auth. ingreſſi. Cod. Sacroſ. Eccleſ. Rubr. & tot. tit. & l.* 49. *Cod. de Epiſcop. & Cler. & Xenodoch. & Orphanotroph. & Brephotroph. & tit. Cod.* Potiſſimum *l. ult. de Sacroſ. Eccleſ. l. pen. Cod. de donat.* Nov. 131. *c.* 9. *& in fin. Geneſ.* 4. *v.* 3. 4. *Levit. cap.* 1. *cap.* 2. *cap.* 22. *& ult. v.* 1. 2. *ibidemque Comment. Belg. Jeſ. cap.* 58. 7. *Mat. c.* 25. *v.* 35, 36. *& ſeq. Marc.* 12. *v.* 41. 42. 43. *Actor. c.* 4. *v.* 34. 35. *& c.* 5. *in init. & c.* 10. *v.* 14. *Clar. lib.* 3. §. *Teſtamentum. quaſt.* 5. *n.* 1. *Tiraquell. tract. de privil. pia cauſa. Thom. Cartwricht. ſuper verb.* 25. *cap.* 20. *Proverb. Althuſ. in Dicajolog. lib.* 1. *cap.* 20.

2. Eaque omnia Chriſtianorum Eccleſiis licite relicta fuiſſe, pateſcit manifeſte, partim ex antedictis, partim ex eo, quod omnibus Collegiis licitis licite quid fuerit relictum. Cum & ad ea, ab inteſtato permulta, devolvantur; non tantum mobilia, quæ poſt tempora Apoſtolo-

ſtolorum, ab imperatoribus Chriſtianis, relicta eccleſiaſticis; ſed (uti Apoſtolorum temporibus, ſic poſtmodũ Principum liberalitate) etiam multa relicta immobilia. *l.* 1. *l.* 13. *Cod. Sacroſ. Eccleſ. l.* 8. *Cod. Hæred. Inſt. tot. tit. Cod. de Hæredit. decurion. vid. Choppin. de Sacrâ Polit. libr.* 3. *tit.* 1. *n.* 2. 3. 4. Ut tamen poſtremis temporibus Eccleſiæ non relinquerentur immobilia, citra amortizationem, id eſt veniȩ impetrationem ſolemnem, Rege vel Principe morticina de prædiorum poſſeſſione exorato. Quod jure papali omnino eximerentur juriſdictioni ſuperioris. Id quod de Provinciis Belgarum, de Galliæ regno, de Angliâ, de Brittanniæ inſulâ, de Venetis, aliiſque teſtantur *Choppin. de Sacrâ Politiâ libr.* 3. *tit.* 1. *n.* 2. 3. 4. *& magnæ Chartæ. c.* 36. *Polidor. Anglican. Annal. libr.* 17. *Peck. de Amortiz. bonor. cap.* 10. *Perez. Cod. de Sacroſ. Eccl. num.* 7. *Goris tract.* 3. *Adverſ. cap.* 8. *ibidemque alii.*

3. O-

3. Omnium autem ita relictorum adminiſtratio, in tantum non denegata fuit Eccleſiaſticis Perſonis, ut iiſdem omni jure fuerit commiſſa, atque concredita, aut ab iis electis œconomis. *Levit.* 27. 2. *Reg. c.* 12. *v.* 12. *&c. Act. c.* 4. *v.* 35. 37. *& c.* 6. *v.* 1, 2, 3, 4. *& ſeqq. l.* 38. 42. 46. *Cod. de Epiſc. & Cleric. Auth. licet Teſtator. Cod. eod. l.* 14. *Cod. Sacroſ. Eccleſ. Modeſtin. Piſtor. vol.* 1. *Conſ.* 18. *n.* 3. *Rittersh. ad Nov. p.* 1. *c.* 27. *n.* 87. *liber.* 4. *tit.* 3. *ſtatutor. Friſiæ, conſtit. de ann.* 1590. 10. *Decembr. & libr.* 1. *tit.* 13.

4. Nec ea, quæ pauperibus ſunt relicta, cenſebuntur in utiliter relicta eſſe, quaſi incertis perſonis deberentur. Et quia incertis, de certis, etiam jure Romano, legare quid licuit. §. 25. *Inſtit. de legatis. l.* 5. *D. de Rebus dub.* niſi de libertate ageretur *l.* 31. *D. Manum. Teſtam.* Et quia ubique certa ſunt exercendæ pietatis ſubjecta, in quantum ab eccleſiâ certi pauperes demonſtrari poterunt,

quibus legatum præſtetur. *l.* 24. *l.* 28. §. 1. *l.* 49. *Cod. Epiſc. & Cleric. Barboſ. ad d. l.* 24. *& ad d. l.* 28. *n.* 10.

5. Quid ſi nonnulla ſint relicta cauſæ piæ, verum teſtamento imperfecto, juſtis deſtituto ſolemnitatibus? Reſp. De jure quidem civili, non neceſſario debebantur quæ ita relicta: quod teſtamento patris imp rfecto, tantum quod inter liberos relictum valeret, non quod inter extraneos; inter quos Eccleſia, ſeu cauſa pia numeratur. *l. ult. Cod. famil. Erciſc. l.* 21. *Cod. de Teſtam.* Uſu tamen fori, & generali conſuetudine, piis uſibus deſtinata ſuſtinentur, licet minus ſolenni voluntate facta ſit diſpoſitio. Id quod etiam juri canonico congruum eſſe colligitur, ex *can.* 11. *de Teſtam. Gail.* 2. *obſ.* 118. *n.* 18. *Mynſing. cent.* 1. *obſ.* 96. *Clarus* §. *teſtamentum. q.* 7. *Graſſus* §. *teſtamentum. q.* 19. *Tiraquell. de Privileg. Piæ cauſ. priv.* 28. *Zoeſ. D. Teſtam. n.* 71. *Coren obſ.* 31. *Sand. libr.* 4. *tit.* 1. *def.* 13. *Chriſtin. vol.* 1. *deciſ.* 304. *n.*

12.

12. *Radelant. deciſ. Utraj.* 125. *n.* 34. *Anton. Matth. diſp. fin. poſt ſucceſſ. n.* 26. *licet de Holland. dubitet. Grot.* 2. *manud.* 17. *in fin. Perez. Cod. de ſacroſ. Eccl. n.* 6. *Conſult. Juriſc. Holl. part.* 1. *Conſil.* 77. *& part.* 2. *conſil.* 36. *&* 94.

6. Quid ſi nonnulla ſint relicta Religioſi vel ſacri collegii Clericis, uti loquuntur, vel pauperibus cujuſdam publicæ domus; An ipſi collegio, aut publicę domui pauperum, an potius ſingularum perſonarum contemplatione hæc ipſa cenſebuntur relicta? Reſp.

Vel talis extat conſuetudo, ut quæ perſonis relicta, ſingulis ſint debita. Vel uni aut aliquibus, non omnibus, aliquid eſt relictum. Vel expreſſis ſingulorum nominibus, id eſt, omnibus nominatim. Vel denique omnibus indefinite, qui vel illa collegia repreſentant, & in quibus ea conſervantur. Si primum ſecundum, & tertium obtineat, perſonarum intuitu aliquid cenſebitur eſſe relictum adeoque ſingulis de-

debebitur. Si quartum reſpectu & contemplatione collegii, aut alicujus domus pauperum relictum eſſe præſumetur. *l. ſi ſervum plurium. in fin. D. leg. 1. -- c. requiſiviſti de Teſtam. -- l. 2. D. Rebus dub. l. Annua. §. Attiæ. D. Annuis legat. l. pater. §. Tuſculanus. D. l. 3. Arg. l. 7. in fin. D. quod cujuſque Univerſ. Nom. Socinus in d. l. 2. Bartol. in d. l. 2. Cynus Salicet. in l. 1. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Menoch. 3. Præſumpt. 27. n. 4. & 4. Præſumpt. 111. & 4. Præſumpt. 113. n. 8. & ſeqq. Perez. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. n. 7.*

7. Quid ſi prɐſidi collegii eccleſiaſtici, puta Epiſcopo, vel alicui inſpectori legatum ſit relictum; an perſonæ relictum cenſebitur, an potius collegio eccleſiaſtico, cui prɐpoſitus eſt? Aut eccleſiæ Præſes vel inſpector, eſt vinculo ſanguinis conjunctus ipſi teſtatori. Aut eſt teſtatori prorſus extraneus, nullo ſanguinis jure intercedente.

Si prius, legatum relictum eſſe perſonæ, non eccleſiæ contempla-

tione,

tione, præſumendum erit. Sive perſonam nomine proprio expreſſerit, ſive nomine appellativo. Niſi tamen vel cauſa legato adjecta, vel res legata, eſſet eccleſię conveniens, vel bonorum eſſet incapax præſes.

Si poſterius, regulariter præſumendum erit pro eccleſiâ, ut ejus contemplatione legatum factum cenſeri debeat, adeoque eccleſiæ acquiſitum. Niſi tamen aliud ſuadeat, vel affectio teſtatoris, vel benemerita legatarii, vel res quæ legata eſt. *Arg. l.* 50. §. 3. *D. leg.* 1. *l.* 22. *in fin. init. D. Alim. leg. l.* 10. *Cod. legat. Arg. c. requiſiviſti. De Teſtam. l. quod Princi-pi.* 56. *D. de leg.* 2. *l.* 20. §. 1. *D. de Annuis leg. & fideicom. l.* 42. §. 2. *in fin. Cod. Epiſc. & Cler. Nov.* 131. *c.* 13. *Mornac. in Auth. licentiam. Cod. Epiſc. Cleric. Mantic.* 8. *conject.* 6. *n.* 17. *Alciat. in l.* 1. *Cod. de Eccleſ. n.* 8. *& Præſumpt. Reg.* 1. *præſumpt.* 28. *Coraſ.* 2. *Miſcell.* 4. *n.* 4. *Menoch.* 3. *Præſumpt.* 16. *n.* 6. 7. *&* 4. *Præſumpt.* 112. *&* 8. *Præſumpt.* 27. *n.* 2. 3. *Tira-*

quell. in l. ſi unquam in verb. donatione. n. 74. Cod. Revoc. Donat. Zoeſ. D. Quando dies leg. ced. n. 10. Mudæus in l. 8. Cod. Hæred. inſtit. Fachin. 5. contr. 40. Anthon. Matt. diſp. 4. de ſucceſſ. n. 4. wiſſenb. poſt eundem diſp. 56. P. vol. 1. n. 50.

8. Quid ſi certis perſonis, aut collegiis aliquid ſit conceſſum pietatis cauſâ, id eſt, propter aliquod exercitium religionis; an, omni omnino ceſſante exercitio, & uſu omni parili pio, Eccleſiaſtico, ignavi ventres quod conceſſum eſt, retinere poterunt, & quidem ſub titulo, & cognomento aliquo Eccleſiaſtico? Non equidem. *Indignus enim lacte, & lanâ convincitur, ſi non paſcat oves, ſi non vigilat in cuſtodiam gregis, judicium ſibi manducat, & veſtit: væ, væ tibi Clerici. Mors in ollâ, mors in ollâ, mors in ollis carnium, mors in hujuſmodi deliciis eſt,* inquit *Bernard. Serm. ecce nihilominus.* & poſt: *Sumptus Eccleſiaſticos gratis habere teſte putas? Cantanda, ut ajunt, tibi videntur provenire ſed bonum*

bonum etiam erat fodere, & arare, peccata populi comedes, ac propria tibi minus ſufficere viderentur. Cui junge *l.* 42. §. 10. *Cod. Epiſcop. & Cler.* Ubi ita Imperator. *Præterea ſancimus, ut omnes Clerici, per ſingulas Eccleſias conſtituti, per ſe ipſos pſallant nocturna, matutina, & veſpertina, ne ex ſola Eccleſiaſticarum rerum conſumtione, Clerici appareant, nomen quidem habentes Clericorum, rem autem non implentes clerici, circa liturgiam Domini Dei, turpe enim eſt, pro ipſis ſcriptos, neceſſitate ipſis inducta pſallere. Si enim multi laicorum, ut ſuæ animæ conſulant, ad ſanctiſſimas Eccleſias confluentes, ſtudioſi circa pſalmodiam oſtenduntur, quomodo indecens non fuerit, Clericos ad id ordinatos, non implere ſuum munus.* Cui ſubjungam dictum Choppini in ſacra *Polit.* 1. *tit.* 3. *n.* 22. In ſummâ „ laudamus erectas à Canonicis, „ *Semiprabendas*, ſeu *Vicarias*, ad Ec„cleſiaſticum officium, accuratius „excolendum. Sed canonicos ipſos „ nihilo magis probamus, Vicariis „eccleſiæ ſervis committentes

,, Templorum miniſterium, cui e-
,, rant ipſi obnoxii. Nam Flacci
,, verbum, ſive vicarius eſt, qui ſer-
,, vo paret, uti mos veſter habet,
,, ſeu conſervus, tibi quid ſum ego?
,, nempe tum mihi qui imperitas,
,, aliis ſervire te oportet. Sic Cano-
,, nici non ideo ſacræ ſervitutis ju-
,, gum poſſunt excutere, quod Vi-
,, cario ſervorum munere utantur
,, defunctoriè conductitiiſque alio-
,, rum operis in re divinâ faciendâ.
,, Demus enim, ſua cuique meſſis
,, operario, ac Chriſti vineæ cultori
,, fuiſſe diſtributa munia, in ipſis a-
,, deo Chriſtianæ Eccleſiæ primor-
,, diis: alios Pſaltes, ſeu Cantorum
,, principes extitiſſe, alios Pſalmo-
,, rum lectores: quos D. Auguſti-
,, nus obſervavit ex ſolemni eccleſia-
,, ſtico ritu B. Patris Athanaſii. libr.
,, 10. conf. cap. 33. Concedamus
,, item, in Moſaicâ Eccleſiâ Pſalmi-
,, ſtarum functionem fuiſſe à reliquis
,, ſacris muneribus ordine vicibuſ-
,, que diſtinctam. libr. 2 Reg. c. 6.
,, &

„ & Paral. 6. cap. 9. Eſdræ 2. & „ Neemiæ. 12. Addatur etiam Cy- „ prianum expreſſim feriatis diebus „ ſacros lectores inſtituiſſe, Aureli- „ um modo, modo Saturium, qui „ divinis celebrandis lectionibus „ perſonarent. libr. 2. Epiſt. 5. & „ 22. At certe, ſtatuta ſemel μυστηρίων „ eccleſiæque miniſtrorum Πολιτεία, „ quæ jam antiquitus perfecta eſt E- „ piſcopalis Cleri inſtitutioneque „ Canonicorum, ſi quidem officii „ deſertores ſunt exiſtumandi, qui „ per procuratores miniſterio eccle- „ ſiæ ſibi impoſito defungantur. Id- „ que eo ferendum minus videatur, „ quod in Helleniſmo, etiam ipſo, „ Alexander Severus edixerit, re- „ ctores provinciarum eas per ſe ad- „ miniſtrare debere, non per aſſeſſo- res. Auctore Lampridio. &c. vid. eundem libr. 1. tit. 8. ejuſdem Tractatus. Et ratio eſt, quia qui non laborat in opere religionis, in Eccleſię meſſe, nec dignus eſt Eccleſiæ mercede. Quique non inſervit Eccleſiæ

ſeque miniſtrum fingit, omni privilegio, & ſtipendio eccleſiaſtico jure merito carebit; idque ex illo forenſi dicto, Matriculam ſine exercitio nihil juvare, aut prodeſſe. Ut enim beneficia militaria, militibus ob fidem & obſequium dantur, ita eccleſiaſtica ob functionem Eccleſiaſticam conceduntur. Ut à milite armato deſumptum argumentum valeat. Vid. *Vaz. Barboſ. Princ. jur. litt. a. n.* 108. 190. Et ſi monachis abdomini deditis, ſui ſunt adempti reditus opimi, quo jure ii, qui ſe fingunt Eccleſiaſticos, cum otio ac voluptati ſint dediti, Eccleſiæ patrimonium ſibi vindicabunt? Ut nihil inter monachos, & talia terræ inutilia pondera interſit. Quin imo illi qui viſi ſunt eſſe, quod non ſunt, in tantum eccleſiæ ſtipendiis indigni, ut inſuper ſe mendacii reos faciant; etiam dum ſe Dei miniſtros fingunt, & officium divinum nullum celebrant, falſi teneantur. Nomen quippe gerunt Eccleſiaſticum,

cum, & nomini ſuo non reſpondent ut pſeudo clerici dici mereantur. Quibus non immerito applicueris, quod apud *Gothefr. ad l. 52. Cod. Epiſc. & Cler. l. qui ſub prætextu. 9. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. ibidemque* DD. *Gilken. Gothefred. aliique Arg. l. 22. §. 2. in fin. Cod. de Epiſc. & Cler. & l. 52. §. 1. Arg. l. eos 27. §. qui ſeſe* D. *Falſi. l. falſi nominis 53. in init.* D. *Eod. ubi Gloſſ. & Bartol. Galat. c. 6. v. 6. 1 Cor. c. 9. v. 7. & ſeqq. 2 Teſſ. c. 3. v. 10. Covarr. var. reſol. 3. c. 13. n. 10. Duaren. de benef. Eccleſ. lib. 1. c. 17. lib. 2. c. 4. vid. Choppin. 1. Sacræ Politiæ tit. 3. n. 22. & 3. Sacræ Polit. tit. 2. n. 20. & tit. 3. poſt n. 12. Himmelius tract. de Canonic. cap. 9. Imperator Ludov. in reform. in concil. Aquiſgran. Ann.* 816. *apud Goldaſt. tom. 3. conſtit. imper. p.* 213. *c. 11. de Franchis, deciſ.* 481. *Oliver Bowles paſtor. Euang. lib. 3. c.* 10. vid. etiam variorum querelas ſuper illis, qui eccleſiaſtica bona profundunt, eccleſiaſticis minus intenti, apud Horenb. ad Bullam Innoc. 10. p. 62. & ſeqq.

9. Ut vero, magis innoteſcat natura legatorum ad pias cauſas; id eſt, eorum, quę vel perſonis Eccleſiaſticis, vel Eccleſiæ, id eſt ipſi Deo, ſunt relicta, quia divino cultui; quod illa ſint generum, verbo præmittendum erit, Vel enim ita Deo ſunt conſecrata, ut immediate, & directè cultum divinum reſpiciant, quæ olim ſacra appellata, hodie divini juris; qualia vaſa, anathemata &c. Vel ita ſunt relicta, ut inſerviant miniſtris ſacrorum, cultui divino vacantibus; qualia ſunt prata, paſcua, vineæ, decimæ, reditus eccleſiarum, quibus nulla intrinſece ſanctimonia ineſt, tantum relatione habita, ad finem, cui inſerviunt, ſacra, aut Eccleſiaſtica, aut ſpiritualia bona appellata. *l.* 1. *l.* 6. *§.* 3. *l.* 9. *D. de Rer. diviſ. l.* 2. *§.* 2. *D. de pollicitat. tot. tit. præſertim l.* 21. *Cod. Sacroſ. Eccleſ.* -- *Gen. cap.* 14. *v.* 20. *Levit. cap. ult. v.* 30. *Deutern. cap.* 2. *v.* 17. *& c.* 14. *v.* 22. *& cap.* 26. *v.* 12. 23. 29. *Malach. c.* 3. *v.* 8. 9. 10.

Matt. cap. 25. v. 23. Hebr. c. 7. v. 4. 5. 9. Althuſ. dicajol. lib. 1. c. 20. Bertachin. in Repertorio. part. 2 verb. decima p. 35.

10. Eaque iterum ſunt vel mobilia, vel immobilia. Mobilia ſunt calices, pelves, candelabra, aliaque ſacrorum inſtrumenta. Immobilia ſunt ædificia, fundi, decimæ, ex agris, & aliunde debitæ, licet gliſcente fide chriſtianâ, ex prædiis, pecuniam conficere maluerint, quam ea retinere. Et quia facilius acceptis nummis, cujuſque indigentiæ ſuccurrere poterant. Et quia prædia in Judæâ retinere utile non putarunt, quod Eccleſiam in gentibus futuram præviderent. *l. 2. §. 2. & Gothefred. in comment. ibid. D. de Pollicit. l. 14. l. 22. & Authent. præterea. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. l. fin. Cod. Eod. Nov. 120. cap. 10. c. futuram. 12. q. 1. Exod. cap. 25. 26. 27. Levit. c. 27. per tot. & v. 21. & ſeqq. Joſ. cap. 7. Act. c. 4. v. 34. 35. & c. 5. v. 1. & ſeq. Gregor. Tholoſ. Synt. jur. lib. 2. c. 25. & ſeqq. Duaren. 2. de Eccleſ. miniſt. & benef. c. 1. & 7.*

de Eccl. miniſt. 1. 2. 3. 4. *Althuſ. dica-jol. loc. alleg. Choppin. de Sacrâ Polit. libr.* 3. *tit.* 1. *&* 4.

11. Ut illi hic ſuam ignorantiam prodant, qui cenſent temporalia, ab Eccleſiâ, aut Eccleſiaſticis perſonis poſſideri non poſſe. Etſi enim in diviſione terrę Cananęorum Sacerdotibus, & Levitis, portionem noluerit aſſignare Deus; attamen abunde illis, & mobilium, & immobilium donationibus, voluit eſſe proſpectum. Ipſorum enim erat omne votum Iſraelis, etiam poſſeſſiones illis aſſignatæ fuerunt. Et ſicuti communitas, aut collegium, honeſtis gaudet reditibus, ita & Eccleſiæ Dei, ſuum concedendum eſt peculium, ſuum patrimonium. Ut tamen Deus ipſi ſit patrimonium, quod in omnem eventum manſurum incolume. *tot. tit. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. præcipue l.* 14. *& auth. ſeqq. l.* 15. *l.* 17. *Cod. Eod. Numer. cap.* 34. *Joſ. cap.* 14. *Eſech. cap.* 44. *v.* 28, 29, 30. *Levit. cap.* 27. *c. nulli liceat.* 12. *q.* 2. *Gre-*

gor.

gor. Tholoſ. ſynt. jur. univerſ. lib. 2. c. 28. Pet. Martyr. in 2 Reg. c. 5. v. 15. 16.

Niſi quiſpiam ex Principibus, aut Proceribus Julianum Imperatorem Apoſtatam imitari velit, qui eo, quod Chriſtiani pauperes beatos deprædicarent, inde anſam arripuit, Eccleſias ſuis fortunis ſpoliandi. Eccleſiarum enim bona auferens, dicebat, maximo ſe beneficio Chriſtianos afficere, nimirum, ut pauperes facti citius regnum cœlorum ſubintrarent. *Duaren. de ſacr. miniſt. & ben. 2. c. 1. in med.*

Verum quidem eſt, Divitias Eccleſiarum, occaſionẽ fuiſſe multorum malorum, ſecundũ illud vulgatum: *Religio peperit divitias, & filia revocabit Matrem. Duaren. de benef. 2. c. 4.* Non tamen hinc licitum cuivis, eas ad ſe rapere, aut omnino iis, quaſi non debitis Eccleſiis, abuti, aut Eccleſiaſtica negare bona. Niſi & illos magiſtratus eſſe nolit, quos religio promovit, quique promoti religionis curam abjecerunt, aut ideo religio-

nem

nem eliminandam cenſeat, quod ſub prætextu divini cultus & ejuſdem occaſione multi facti ſint hypocritę.

Subjiciam hic locum Choppini, qui ita de opibus Clericorum diſſerit. *libr.* 3. *Sacræ Politiæ. tit.* 2. *n.* 20.
„ Tales vero prædiorum, immu-
„ nitatumque in eccleſiam erogatio-
„ nes non eo tendunt, ut Clerici
„ toto pectore in profanarum ampli-
„ ficationem opum incumbant: ſed
„ ut rei familiaris curâ ſoluti ac va-
„ cui liberius otium foveant littera-
„ rium, & in una æternitatis con-
„ templatione verſentur.

„ Fraterculorum certe jam pri-
„ dem exploſa ſententia eſt, qui di-
„ vitias Eccleſiaſticas fando ſcriben-
„ doque damnabant. & poſt. Enim-
„ vero vitanda φιλαργυρία & inexple-
„ bilis cupiditatis ſitis: hoc odio di-
„ gna majore, quo minus ſacrarum
„ opum domini ſunt liberique arbi-
„ tri ſacerdotes, at nudi velut alienæ
„ rei diſpenſatores atque adminiſtri.

„ Nam

„ Nam antiquos patres, eccleſię lu„mina reſpicienti, non aliud ipſo„rum ſtudium fuiſſe videri ſolet, in „ ſacrâ Gazâ tractanda, quam ut in „ egenos dietim, hujuſcemodique „ pios uſus impenderent. Et quę e„ gregia apud eundem ex antiquita„ tibus eccleſiaſticis hauſta, occurrunt. vid. eundem *libr.* 3. *tit.* 3. *poſt n.* 12.

12. Quin imo, licet Eccleſię nonnulla citra neceſſitatem, id eſt ad abundantiam eſſent donata, non ideo minus cenſebantur eſſe Eccleſię, aut magis in bonis ſingulorum, aut univerſitatis, jure proprietatis, ut etiamnum divino cultui, & uſibus Eccleſiæ fuiſſent impendenda. Quia ſemel Deo dicata, adeoque Deo debita. Idque vel quia per modum voti relicta, vel quia Dei nomine ab Eccleſiâ, à pauperibus, erant acceptata, vel quia ſaltem voluit teſtator ea piis uſibus eſſe applicanda, ex præcepto Imperatoris Juſtiniani, *in l.* 42. *§.* 7. *Cod. Epiſc. & Cler. Undi-*

que

que enim (inquit) *noſter ſcopus, noſtraque intentio eſt, ad amplificationem, & augmentum adducere res ad pios uſus ſegregratas. Sic enim quisquis pro ſua anima quicquam facere volet, promptius erogabit, ſi crediderit ea, quæ ab ipſo data fuerint, pie adminiſtranda eſſe. vid. l. 1. l. 6. §. 2. l. 9. §. ult. D. Rer. diviſ. l. 2. in init. D. de pollic. l. 21. Cod. de ſacroſ. Eccleſ. l. 28. l 29. §. 8. l. 42. §. 6. verb. manifeſtum. Cod. de Epiſcop. & Cler. Barboſ. ad l. 16. Cod. Sacroſ. Eccleſ. n. 16. Exod c. 36. v. 5. 6 7. Joſuæ c. 7. v. 12. 15. 2 Paralip. c. 31. v. 10. Malach. c. 3 v. 8, 9, 10. Levit. c. 27. per tot. 2 Reg. c. 12. v. 4.* Quinimo ſi quæ impura in veteri Teſtamento, Deo oblata fuiſſent, quę aliter offerri non debebant, ea tamen nec remanebant, aut incipiebant eſſe ſingulorum, antequam taxato pretio redemta fuiſſent. In tantum etiam, ut ſi quis ea doloſe ſibi applicaſſet, ad reſtitutionem, & pœnam teneretur, ſi non ſacrilegii reus eſſet. *Levit. c. 5. v. 15. vid. Malach. c. 1. v. 8. Vid. Plura in nub. teſt.*

ſeu

ſeup. 2. conſil. Theol. pag. 250. 251.

Verum dixerit quiſpiam, ſi quæcunque Deo oblata, manent Dei, etſi iis non egeat Eccleſia, quid cum ſuperfluo agendum erit? Reſp. Nunquam tot offeruntur Eccleſiis, quin commode uſibus piis applicari poſſint, quod non ſit defutura occaſio, quo pius magiſtratus ſuam pietatem exercere valeat, modo velit. *Grot. in not. ad Conſ. Caſſand. cap.* 18. *Conſil. Theol. de bon. Eccleſ. Traject. pag.* 13. Quidquid ſit, nunquam deerunt pauperes, in quos hæc erogari poterunt, maxime, cum certum ſit pleraque, quæ in Eccleſia primitivâ, & ſeqq. ſeculis relicta fuere, in pauperum gratiam fuiſſe relicta. In tantum etiam, ut bona Eccleſiæ in veteribus canonibus, appellata fuerint pauperum bona, patrimonium pauperum. Eaque cura Epiſcopis demandata, quod eorum erga pauperes ſtudium omnibus eſſet perſpectum. *l.* 24. 46. 49. *Cod. Epiſc. & Cleric. l.* 1. *Cod. Epiſc. Audient. c. quia juxta.*

juxta. 16. *q.* 1. Quo etiam nomine Auguſtinus, eos, qui decimas non perſolvunt Eccleſiæ, tot homicidiorum reos futuros ait, quot pauperes famæ perierint, quod rem à Deo pauperibus delegatam, ſuis uſibus reſervent. *c.* 19. *cauſ.* 16. *q.* 1. Quo cum facit illud Ambroſii. Aurum „ Eccleſia habet, non ut ſervet, ſed „ ut eroget, & ſubveniat in neceſſi- „ tatibus. Et poſt, Nonne dicturus „ eſt dominus, cur paſſus es tot ino- „ pes fame mori? Certe habebas au- „ rum, unde miniſtraſſes alimoniam &c. *c. aurum.* 12. *q.* 2. Plura apud *Duaren. de Sacris miniſt. & benef.* 2. *c.* 1. *poſt medium.* Quid quod etiam poſtremis temporibus, præſertim in provincia Trajectinâ, ubi quinque Capitula Canonicorum, ea ſemper, & ubique, etiam in memorialibus appellata fuerint, de vyf Godtshuyſen/ quinque Domus Dei, deſt pauperum, quod noſtrâ linguâ vernaculâ ibidem, etiamnum per Godtskamers / Godtshuyſens deſigne-

gnemus pauperum domunculas, in quibus gratis habitant. Quodque illa bona, ſi quæ forte in Eccleſiâ eſſent ſuperflua, pauperibus eſſent applicanda. Vel hic audiamus *Carpzov. cap. 4. ſect. 4. de Leg. Reg. German. Sunt profectò, infinitæ fere cauſæ piæ, ad quas reditus iſti conferri poſſent; Clamat penuria pauperum, clamant nudi, clamant famelici, Conqueruntur, & dicunt; Noſtrum eſt, quod effunditis, expenditis: Noſtris neceſſitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus veſtris.* & poſt, *Etiam nunquam deficiet cauſa parilis, quæ reditus, & bona Deo ſemel* „ *dicata, excipere poſſit.* Si ſcilicet „ ejuſmodi bona, vel ad alium cul-„ tum divinum, vel ad ſalutem rei-„ publicæ, vel ad conſervandum „ miniſterium, vel ad pias ſcholas „ conſtituendas, vel ad juvandos „ pauperes, vel ad conditionem no-„ ſocomiorum, quoquo modo, me-„ liorem efficiendam, vel ad cauſam „ ſtudiorum conferantur. *Arg. l. ſan-* „ *cimus.* 21. *l. quoniam* 26. *Cod. de Sa-* „ *croſ.*

„*croſ. Eccl. c. cum ſecundum Apoſtolum.*
„ 16. *de Præbend.* Veluti pro mona-
„ ſteriis, ſcholas, Noſocomia, Xe-
„ nodochia, Orphanotrophia, lau-
„ datiſſimos quoſdam Germaniæ
„ Principes conſtituiſſe, refert &
„ commendant Everh. à Weihe in
„ Aulico Politico reg. 26. Hocque
„ juris obtinere apud euangelicos,
„ probat ſententia Electoralis. Qui-
nimo potius, quam ut ab ignavis,
& otioſis ventribus, hominibus
peregrinis & obſcuris, & neſcio,
quo fato aliquo delatis, in civium,
& originariorum præjudicium,
prodige conſumantur, melius Rei-
publicæ conſuleretur, ſi pars il-
lorum redituum Eccleſiaſticorum,
„ benemeritis, ſublatis eccleſiaſti-
„ cis titulis, & in equeſtribus or-
„ dinibus conſtituendis impende-
„ rentur; quibus non ſolum po-
„ tentiorum familiæ vacillantes ſe-
„ ſe alerent, & in ſua ſe conſerva-
„ rent integritate, ſed etiam, quod
„ perpetuas pro lege & grege excu-
„ bias

,, bias agerent, firmum haberetur præſidium. Uti ſuaſit *Nicolaus Beth.* *aliique apud Carpzov. D. l. allegati.* vid. *Garſ. de donat. remuner. n.* 31. 32. vid. & *Rever. Parent. p.* 10. *diſp. de Temporal. Eccl. theſ. n.* 4. *& p.* 11. *theſ.* 3. *n.* 16. *vid. Horenb. ad Bull. Innoc.* 10. *p.* 148. 149. *& ſeqq.*

13. Omnia vero, quæ Eccleſiæ Dei ſunt relicta, quia ſunt Eccleſiæ patrimonium. *l.* 14. *in fin. init. Cod. Sacroſ. Eccleſ.* non magis, ſi non multominus, dominio proprietatis ſunt principis, aut fiſcalia, quam bona ſingulorum, quam orphanotrophia, gerontocomia, aliaque piis uſibus deſtinata loca. Ut tamen negari non debeat, quin ea omnia quodammodo Principis eſſe dicantur, id eſt Imperio, dominio ſuperioritatis, directionis, tuitionis, in quantum nutritius, & curator Eccleſiæ, quandoque adhibitis in conſilium Eccleſiaſticis, ea dirigit, aut per Eccleſiaſticos, per œconomos dirigi curat in fines & uſus deſtinatos. Id quod ipſi

ipſi Principes aſſerunt, ſub quibus multa erant eccleſiis relicta. Ita Carolus & Ludovicus imperatores in capitul. libr. 5. c. 296. *Ea*, inquiunt, *quæ domino offeruntur, vel conſecrantur, ad jus pertinent ſacerdotum. Et ſacrilegi ſunt omnes, qui ea auferunt, vel in aliud transferunt.* & libr. 7. c. 188.

De Vaſtantibus Eccleſias, earumque res, nihil aliud intelligimus, quam contra illum æterni imperii dominum, ejuſque majeſtatis homines, movere certamen: cum illæ ædes illi die noctuque famulentur, & illi ſint conſecratæ. Videant ergo vaſtantes eaſque invadentes, prænuntiamus, ne ab illo, ſi ſe commoveat, vaſtentur, & diſperdantur, cujus percuſſionem mentium dorſa ferre non poſſunt. Nos vero iſta nec agere volumus, nec facere volentibus conſentire, ne noſmet ipſos, quod abſit, perdamus, aut ſe perdere volentibus conſentiamus. & libr. 6. c. 303. *Nulli liceat ignorare, quod omne quod domino conſecratur ſive homo fuerit, ſive animal, ſive ager, vel quicquid ſemel fuerit conſecratum, ſanctum ſacratumque erit domino,*

&

& ad jus pertinet ſacerdotum. Propter quod inexcuſabilis erit omnis, qui ea, domino & eccleſiæ quæ competunt, aufert, vaſtat, invadit, vel diripit, uſque ad emendationem, eccleſiæque ſatisfactionem; quod ſit ſacrilegus, & non tantum ſacrilegus, ſed etiam fur ſacrilegus &c. c. 305. *Omnia quæ domino offeruntur, proculdubio domino conſecrantur: & non ſolum ſacrificia, quæ à ſacerdotibus ſuper altare domino conſecrantur, oblationes fidelium dicantur, ſed quæcunque ei à fidelibus offeruntur, ſive in mancipiis, ſive in agris, vineis, ſylvis, pratis, aquis, aquarumve decurſibus, arteficiis, libris, utenſilibus, petris, ædificiis, veſtimentis, pellibus, lanificiis, pecoribus, paſcuis, membranis, mobilibus, immobilibus, vel quæcunque de his rebus, quæ ad laudem Dei fiunt, vel ſupplementum ſanctæ Dei eccleſiæ ejuſque ſacerdotibus atque ornatum præſtare poſſunt, domino, eccleſiæque, ſive à quibuſcuuque ultro offeruntur, domino indubitanter conſecrantur, & ad jus pertinent ſacerdotum.* Et quia *Chriſtum & eccleſiam unam perſonam eſſe veraciter agnoſcimus,*

gnoſcimus, quacunque eccleſia ſunt, Chriſti ſunt. Et qua Eccleſia vel in ſupradictis vel in quibuſcunque ſpeciebus, ſive pollicitationibus, ſive pignoribus, ſive ſcriptis, ſive corporalibus rebus offeruntur, Chriſto offeruntur, & qua ab eccleſia ejus, quocunque commento alienantur vel tolluntur, ſive alienando, ſive vaſtando, ſive invadendo, ſive minorando, ſive diripiendo, Chriſto tolluntur. &c. vid. & ſequentia capitula. 320. 321. 322. 323. & ſeqq.

Ut vero Imperatores declarant illa bona fiſcalia non eſſe; ſic etiam Ordines generales in negotio bonorum eccleſiaſticorum Sylvæ duc. an. 1630. 11. Jun. idem cenſuerunt. Id quod abunde probatum dedit Celeb. Horenbeeck in diſp. ad Bullam Innoc. 10. p. 156. 157.

Etiam Ultrajectinæ Provinciæ Ordines fiſcalia bona contradiſtincte habent ad eccleſiaſtica; eſt illorum quæſtor ab horum receptore diſtinctus. Diſtincta munia & officia; diſtincta itaque bona. Et quis igno-

ignorat, alia eſſe Dei, alia Cæſaris bona; ſi aliud jus Dei, aliud Cæſaris. Id quod etiã obſervarunt Principes Proteſtantes in Germania. Et jam inter reformatos hoc ſe feciſſe teſtatur rex Angliȩ Carolus, in ſuâ Icone Regiâ; quaſi nihil magis fuerit deteſtatus, quam ut bona eccleſiaſtica in uſus prophanos transferrẽtur, aut à Politicis nõ jure invaderentur. Eoq; nomine illos pejores eſſe Pharaone, teſtatur, qui Sacerdotum agros divenditos aut diſtractos noluit. Quẽ ſecutus Rex Carol. iſtius nominis 2. nihil ſibi magis in Epiſcopalibus & Presbyterialibus placere ſcribit, quam quod unà improbarent ſacrilegii peccatum, adeoque abalienationem redituum eccleſiæ deteſtarentur. *per ll. ſuperius all. Rubric. & tit. Cod. Sacroſ. Eccl. & Orphanotroph. l. 1. D. Ne quid in loc. publ. l. 4. D. de Adminiſt. rer. ad Civit. pertin. l. 43. in init. Cod. Epiſc. Arg. l. 35. Cod. Epiſc. & Cler. Nov. 3. in Epil. Nov. 120. -- 1 Sam. c. 15. v. 9. & ſeq. 1 Reg. c. 7. v. 51. & c. 21. v.*

1, 2.

1. 2. 3. *& ſeq.* 2 *Reg. c.* 12. *per tot. & v.* 12. 2 *Paralipom. c.* 31. *Eſai. c.* 49. *v.* 29. *& c.* 60. *v.* 16. *Eſech. c.* 45. *v.* 7. *& ſeq. Matt. c.* 22. *v.* 21. *Carolus Angliæ Rex Epiſt. de ann.* 1647. *in Eicon. Baſilic. Declarat. Carol.* 2. *de ann.* 1660. *Octob.* 25. *Conſil. Melanth. part.* 1. *p.* 171. 378. *Matthias weſemb. conſ.* 210. *n.* 15. *& ſeqq. Rittersh. ad Nov. p.* 1. *c.* 8. *n.* 40. *Choppin. de Morib. Pariſ. lib. tit.* 4. §. 11, 12. *Conſ. Theol. de bon. Canon. Ultraj. p.* 14. 17. 18. 19. 36. *Althuſ. dicajolog. lib.* 1. *c.* 20. *n.* 4. 17. *vid. & Rev. Parent. diſp. de Tempor. Eccl. part.* 5. 1. *Schepl. ad conſuet. Brand. part.* 1. *tit.* 1. §. 10. *& ſeqq. Horenbeeck ad Bull. Innoc.* 10. *p.* 61. *p.* 91. *& ſeqq. p.* 103. 119. *in fin. pag.* 120. *p.* 156. 157.

Neque obſtat *l. in modicis* 24. *D. Contrah. Empt. l. ſi ſepulchrum.* §. 1. *Cod. de Religioſ.* Ex quibus colligitur, quod loca ſacra, & religioſa jaceant in territoriis, cum iis tranſeant, adeoque eorum partes cenſeantur. Reſp. Finge, quod bona ſacra cum univer-

univerſitate tranſirent, id quod tamen indiſtinctè verum non eſſe, ſatis ſuperque ex d. l. 24. colligitur, quæ de modicis tantum loquitur.

Hinc tamen male quis intulerit, ea eſſe univerſitatis, aut ejus partes. Non magis, quam ſi quis aſſereret Eccleſiam eſſe Reipublicæ, quod Republicâ concludatur, adeoque ſit in Republicâ, vel nucleum eſſe partem putaminis, quod eo contineatur. Multo minus intulerit bona ſacris dicata, ab univerſitatis Domino pro lubitu prophanari, & in alios uſus non pios, non pariles citra neceſſitatem converti poſſe. *Fabian. de Monte.* 1. *vol. tract. fol.* 129. *Matthias weſemb. Conſil.* 120. *n.* 29. *Sand. de Prohibitâ rerum alien. cap.* 7. *num.* 1.

Unde ſi unquam Princeps officii limites egreſſus, bonis verè Eccleſiaſticis abutatur, incumbet Eccleſię miniſtris Principem ejus rei nomine modeſtè admonere. Nam ſi Principi conceſſum non eſt de hæreditate po-

puli pro lubitu quid elargiri, qui prodigus eſſe poterit & profuſus rei eccleſiæ? *Ezech. c.*46. *v.*18. Unde ſi monitus pergat vir Princeps ſacra ſupra modum, & citra neceſſitatē prophanare, jus Eccleſię fortiter verbis tuebuntur Eccleſiaſtę; licet forte eo nomine nonnunquam male audiant, quaſi ea bona ſibi velint applicata. Quę equidem grandis eſt calumnia, adverſus quam nonnulli etiam publice fuere proteſtati. Vide inter alios Calvinum Epiſt. contra Sadoletum, & Melanthonem in conſil. Ut notandum hic veniat in tranſitu commentum hiſtorici cujuſdam imperiti, cui titulus Hollantſ. Mercur. rerumque Trajecti geſtarum ignari qui *part.* 11. *pag.* 117. 122. prætergreſſus officium hiſtorici præter alia mendacia manifeſtiſſima, ſuo libro inſeruit, quod Ultrajectini concionatores hoc ipſum vo-
„luerint, eoque ſua contribuerint
„ Voetiani, & Anticarteſiani, (id
„eſt, ſenſu vero, anti Atheiſtæ,
„ anti

„ anti Libertini,) ut canonicatus
„ Trajectini eorumque reditus ibi-
„ dem miniſtris applicarentur.

Id tamen veriſſimum eſt, Traje-
ctinam eccleſiam, ejuſque miniſtros
fideles multis vexatos fuiſſe injuriis,
multis gravatos mendaciis, per Ma-
reſium aliosque ad calumniandam
natos; adeoque libellis famoſis,
domi, foriſque traductos; non ali-
am ob cauſam, quam quod pro ra-
tione ſui muneris, proque conſcien-
tię dictamine, fideliter hominum
animos informaverint, verbo Dei
congruentur, circa bonorum eccle-
ſiaſticorum abuſum. Eaque non ſi-
bi, verum aliis uſibus piis applican-
da eſſe cenſuerint; etiam reipublicæ
neceſſitatibus impendi poſſe dicta-
verint. Teſtis eſt Deus, teſtes ſunt
Viri prudentiores, rerum periti Tra-
jectinarum, quicquid hic Mareſius &
lucifuga quiſpiam mendaciſſimus in
epiſt. pro D. Prof. Cypriano edita, cō-
tra nitantur, & neſcio quas prophaſes
fabricent, quo ſuſpectos reddant fi-

 deles

deles Chriſti ſervos, eoſque, quæſitâ falſâ occaſione, non inventâ, opprimant.

Nec tamen illi deſinent, quod ſuum eſt agere; nec ideo minus, quemque ſui admonere officii, verbo Dei congruenter; quicquid in adverſum nitantur, homines male ſani, qui fideli admonitioni auſcultare detrectant. Sequentur hâc in parte Viri pientiſſimi, exemplum Ambroſii Epiſcopi Mediolanenſis; qui comitibus ad ſe miſſis ab Imperatore hunc in modum reſpondit. *Si à me peteret, quod meum eſſet, id eſt fundum meum, argentum meum, jus hujuſmodi meum, me non eſſe refragaturum: Quanquam omnia, quæ mea ſunt, eſſent Pauperum: verum ea, quæ divina ſunt, Imperatoriæ poteſtati non eſſe ſubjecta.* Et poſt. *Mandatur, Trade altaria Dei, urgemur igitur præceptis regalibus: Sed confirmamur ſcripturæ teſtimoniis, quæ reſpondit. Tanquam una ex inſipientibus locuta es.* Et poſt. *Quid ergo turbamini? Volens nunquam jus deſeram.*

Coactus

Coactus repugnare non novi, potero dolere, potero flere, potero gemere. Adverſus arma, milites Gothos, lachrymæ meæ, mea arma ſunt. Talia enim ſunt munimenta ſacerdotis. Aliter nec debeo, nec poßum reſiſtere. Et poſt. *Allegatur, Imperatori licere omnia, ipſius eſſe univerſa. Reſpondeo.* Noli *gravare te Imperator, ut putes, te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere.* Noli *te extollere: Sed ſi vis diutius imperare, eſto Deo ſubjectus, ſicut ſcriptum eſt. Quæ Dei, Deo, quæ Cæſaris, Cæſari. Palatia enim ad Imperatorem, Eccleſiæ ad ſacerdotes pertinent.* Et poſt. *Sanctus Naboth vites ſuas vel proprio cruore defendit. Si ille vineam non tradidit ſuam, nos trademus Eccleſiam Chriſti? Quid igitur à me reſponſum eſt contumaciter? Dixi enim contentus, Abſit à me, ut tradam hæreditatem patrum &c. Reſpondi ego, quod ſacerdotis eſt: Quod Imperatoris eſt, faciat Imperator. Prius eſt, ut animam mihi, quam fidem auſerat.* Et poſt. *Tributum Cæſaris eſt, Non negatur. Eccleſia Dei eſt, Cæſari utique non debet addici, quia jus*

Cæſaris eſſe non poteſt templum Dei, quod cum Imperatoris honorificentiâ dictum, nemo poteſt negare. Quid enim honorificentius, quam ut Imperator Eccleſiæ filius eſſe dicatur? quod cum dicitur, ſine peccato dicitur. Imperator enim bonus intra Eccleſiam eſt, non ſupra Eccleſiam. Et poſt. *Si de meis aliquid poſceretur aut fundus, aut domus, aut aurum, aut argentum, id quod mei juris eſſet, reſpondi me lubenter offerre; templo Dei nihil poſſe decerpere, nec tradere illud, quod cuſtodiendum, non tradendum acceperim. Deinde conſulere me etiam Imperatoris ſaluti, quia nec mihi expediret tradere, nec illi accipere. Accipiat enim vocem liberi ſacerdotis, ſi vult ſibi eſſe conſultum; recedat à Chriſti injuria. Hæc plena humilitatis ſunt, &, ut arbitror, plena affectus ejus, quem Imperatori debet ſacerdos.* vid. *etiam Johannem Doughtejum Theol. Anglo-Brittan. Analect. Sacrorum Excurſ. 31. ad Geneſ. 47. v. 22.*

14. Nihil autem intereſt, quâ ratione, quove modo bona ſint Eccleſiæ, vel piæ cauſæ relicta. Sive id

id factum ſit, negotio geſto inter vivos, ſive in ultimâ voluntate. Illo modo, votum faciendo, aliquid Eccleſię donando abſolute, per contractum promittendo. Hoc modo, diſponendo de bonis, vel legando portionem hæreditariam, vel omnia bona hæreditaria teſtamento, relinquendo. Nec intereſt, id fiat lege jubente, vel ſpontaneâ oblatione; per tributum juſtitiæ, vel liberalem charitatis donationem. *l. 9. D. Rer. Diviſ. l. 1, 2. D. Pollicit. l. 14. cum Auth. ſeq. l. ult. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l. 46. in init. Cod. Epiſc. & Cler.* -- *Exod. c. 25. v. 1. & c. 35. v. 5. Levit. c. 7. v. 23. ult. Judic. c. 11. v. 30. 31. Deutern. c. 26. v. 12. 13. 2 Reg. c. 2. v. 4. 1 Chron. c. 29. v. 3. 5. 9. 14. 17. Luc. c. 21. v. 1. & ſeqq. Act. c. 4. verb. fin. Rev. Parens in diſput. de temporal. Eccleſ.*

15. Verum, an quæ eo quo dictum eſt modo Deo, id eſt ejuſdem Eccleſię ſunt relicta, in qualeſcunque privatorum vel ſingulorum uſus, &

quidem ab intentione, & fine ultimato donatorum toto genere diſtinctos, citra evidentem, neceſſitatem, quam & divina & humana lex ſemper excipit, converti poterunt? Reſpondeo; Non equidem. Neque enim ullius eſt hominis, ne quidem Principis, de iis quæ humano juri ſunt exempta, ad lubitum diſponere, aut diſpenſare, citra divinam juſſionem, & legem. Ut Deo non excipiente, noſtrum non ſit excipere, citra grande peccatum. Quinimo cuivis, imprimis viro Principi, hæc cura incumbit, ut provideat, ne cum damno aut detrimento Eccleſiæ, ejuſdem bona diſtrahantur, aut indiſcriminatim ad quoſlibet uſus profanos transferantur. Non vero ut pro arbitrio citra juſtam cauſam voluntátem defuncti, quâ Eccleſię bona ſunt relicta, immutare valeat. Niſi ut eam ſecundum leges, ſi quid iniqui contineat, emendet. Hęc ab omni ævo mens fuit piorum Principum; & quod

quod etiã ſe ſemper obſervaſſe fatetur Rex Magnę Britannię Carolus, in ſuâ Icone Regia; nec vel latum unguem ab illo propoſito receſſiſſe. Si tamen viri Principes, reperiantur qui eccleſię bona prę ter jus invadant; id forte obſervandum, quod in ſimili monet Auguſtinus. Ut ſi corrigi nequeant, tamen tolerentur, indicatis nihilominus ipſorum pec-
„ catis, iiſque reprehenſis. Exem-
„ plum, inquit, domini accipe con-
„ verſantis in terrâ. Quare habuit lo-
„ culos, cui angeli miniſtraverunt,
„ niſi quia eccleſia ipſius loculos ſuos
„ eſſet habitura? Quare furem admi-
„ ſit, niſi ut ejus eccleſia fures patien-
„ tia toleret? *c. exemplum.* 12. *q.* 1. *Arg.* §. 8. *Inſt. Rer. diviſ. l.* 6. *l.* 9. *D. Eod. l.* 5. *in med. Cod. de leg. l.* 73. *D. Contrah. Empt. l.* 14. §. *ſane ne omnis. l.* 21. 22. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. l.* 26. *& ibidem Barboſ. n.* 7. *l.* 42. §. 1. *verb. Nam cum quidem. Cod. de Epiſc. & Cleric. l.* 49. §. 8. *Cod. Eod. Nov.* 7. *etſi quis autom. Num. c.* 18. *à v.* 8. 1 *Samuel c.* 2.

v. 13. 14, *& ſeq. & c.* 21. *v.* 3. 4. 5. *Arg. Deutern. c.* 17. *Joſ. c.* 1. *v.* 8. *Pſalm* 2. *Ordin. Gener. Fœder. Belg. Conſt. de ann.* 1578. *Meteran. lib.* 8. *fol.* 155. *Ordinum Provinc. Ultraj. reſol. de ann.* 1580. 6. *Jul. Vincent. Honded.* 2. *Conſil.* 31. *Hieron. Treutl. conſ.* 85. *n.* 23. *Schurff. cent* 1. *conſ.* 48. 90. *Alex.* 2. *Conſ.* 130. *n.* 2. *Cravett. conſ.* 592. *n.* 55. *& ſeqq. Zoeſ. D. de injuſt. Rupt. Irrit. n.* 25. *Rittersh. ad nov. part.* 6. *c.* 6. *Boterus relat. regni Angliæ p. mihi* 190. 191. *de Opibus. Zouch. Deſcript. jur. Eccleſ. Anglic. part.* 2. *ſect.* 6, *Goris adverſar.* 3. *cap.* 13. *in fin. vid. Nub. teſt. &c. p.* 58. *& p.* 247. 248. *Horenbeeck. ad Bullam Innoc.* 10.

16. Annon igitur Eccleſiæ bona in uſus analogos, aut pariles, id eſt alios uſus pios vel religioſos, converti poterunt? Fxemp. grat. in captivorum redemtionem, pauperum alimoniam, licet forte in uſum miniſterii relicta forent? Reſpondeo. Etſi non facile ab intentione teſtatoris ſit recedendum, verum ei inhærendum,

dum, in quantum id jure fieri poteſt. *Arg. l. vel negare. 5. D. quemadm. Teſtam. aperiant. l. 9. §. 2. verb. & eſt hoc. D. Trit. vin. oleo leg.* Attamen, ſi juſta cauſa ſubſit (neque enim ita bona divini juris, humani juris, id eſt ſingulorum eſſe incipiunt) nihil obſtabit, quo minus ab uſu pio, ad alium uſum pium transferantur. Rectæ enim rationi congruum eſt, animas hominum quibuſcunque vaſis præferri, & vel pellibus tabernaculi, veſtiri potius templa Dei viva, quam ut injuriâ aëris illis foret pereundum. Maxime cum hominum gratiâ, qui quibuſcunque rebus digniores ſunt, omnia ſint data & conceſſa. *Arg. l. 44. D. de Ædil. Edict. l. 28. D. de uſur. & fruct. -- §. 8. Inſtit. Rer. diviſ. l. 17. l. 21. Cod. ſacroſ. Eccleſ. l. fin. Cod. Eod. l. pen. Cod. de Donat. l. 28. l. 49. Cod. de Epiſc. & Cleric. Nov. 7. c. 8. verb. niſi tamen Nov. 120. cap. 9. 10. Arg. l. 7. in init. de operib. publ. -- Matth. c. 12. v. 3. 4. Marc. cap. 2. v. 25. & ſeq. Luc. c. 6. v. 1.*

v. 1. *& ſeq.-- Tiraquell. de piâ cauſâ. priv.* 103. *Bartol. ad l.* 7. *D. Confirm. tutor. Covarr. var. reſol.* 2. *c.* 16. *n.* 9. *Barboſ. coll. ad l.* 17. *Cod. Sacroſ. Eccleſ.*

17. Verum, an Conditio, intentioni, aut fini & ſcopo teſtatoris, aliquod Eccleſiæ relinquentis, appoſita, adimplenda erit in ſpecie, uti loquuntur? An vero ſuffecerit eam per aliquod æquipollens adimpleri, ſicut in locum unius altera ſubſtituatur? Reſpondeo, Aut conditio eſt cauſa diſpoſitionis, ex ſolâ teſtatoris intentione, neque quicquam inhoneſti, aut abſurdi in ſe continet; ut ſi dixerit teſtator, Eccleſię relinquo annua centum, ſi quando meus cognatus illius, aut illius civitatis conſul erit factus. Et ita relictum ab eâ pendet conditione, ut, niſi extiterit, Eccleſia nihil capiat. *Arg. l.* 30. *§.* 2. *l.* 49. *l.* 55. *D. Cond. & demonſtr. l.* 8. *§. quoties. D. condit. inſtit. l. unic. §. ſi autem Cod. de Caduc. tollend.* Aut conditio ſeſe habet, ut via, & medium, veluti prę-

ambulum

ambulum aliquod ad aliquem effe-
ctum, ut ſi dixerit teſtator: Hæc
relinquo ad honorem Dei, & Eccle-
ſiæ, quem promotum cupio, per
cantum pſalmorum, per preces pro
defunctis &c. Neque eam ſpecifice,
aut formaliter impleri eſt neceſſum,
ut, quod relictum eſt, debeatur.
Satis enim eſt, ſi effectus, quem po-
tiſſimum intendit teſtator, obtinea-
tur, licet aliâ viâ: cum non curan-
dum de mediis, habito, & obtento
fine. Maxime cum veriſimile ſit,
teſtatorem, ſi rogatus eſſet, & pro-
be informatus de medio, & modo
non illicito, ad illum finem conſe-
quendum, lubenter eundem ad-
miſſurum fuiſſe. *Arg. l.* 3. *Cod. de
Inſt. & ſubſt. l.* 11. §. 11. *D. de Leg.* 3.
l. 13. *D de condit. & demonſtr.* -- *Ar-
gum.* 2 *Reg. c.* 12. *v.* 4, 5. 13. 14. *vid.
Graſſum* §. *legatum. q.* 53. *Tulden. Cod.
de condit. inſert. num.* 6. *Zoeſ. D. de
condit. & demonſtr. n.* 28. *Perez. Cod.
inſtit. & ſubſt. n.* 10. *in med. Bernhard.
Schotan. in examine juris tit. de condit.*
&

& demonſtr. wiſſenb. Diſp. P. 8. part. 2. n. 3.

18. An igitur, quæ uſui Eccleſiaſtico ſunt relicta, in alios uſus non pios, toto genere diverſos ab intentione teſtatorum, unquam converti poterunt? Sic videtur dicendum, idque in caſu neceſſitatis. Ita, ſi gravata patria ære alieno, ſi deficiant media alendi militem, pax pretio ſit redimenda; niſi quis perditam velit patriam, quâ ſalvâ Eccleſiæ conſulitur, jure merito bonis ejuſdem, patriæ periclitanti ſuccurrendum erit. Neceſſitas enim legem non fert, & facit licitum, quod aliter eſſet illicitum. *Arg. c. ſi ulla.* 23. *q.* 8. *Tiraquell. de retract. §.* 26. *Gloſſ.* 1. *num.* 19. *Cevall. comm. opinion. quæſt.* 899. *n.* 190. *& q.* 906. Sic enim, dum patriæ occurritur, etiam Eccleſiæ utilitati proſpectum erit, de quâ, everſâ patriâ, intuitu veræ religionis, foret actum. Cui tamen, melioribus temporibus, quod ademptum, aut aliquod ęquivalens,

valens, reſtituendum erit. *l.* 14. *in fin. D. de Adminiſtr. rer. ad civit. pertin. Argum. Authent. ſed & permutare.* Cod. *de ſacroſ. Eccleſ.*Nov. 7. *c.* 2. -- 1 *Samuel. c.* 21. *v.* 3. 4. 5. 6. *junct. Matth. c.* 12. *v.* 3. 4. 1 *Reg. c.* 15. *v.* 17. 18. 19. 2 *Reg. c.* 12. *v.* 18. *Martyr. comm. in* 1 *Reg. c.* 21. *Bernegg. probl.* 180. *ad Taciti German. & Agricolam. Willet. comment. ſupra Dan. c.* 5. *quaeſt.* 12. *Johan. Conrad. Danhauw. in Coll. decalog. diſp.* 16. §. 8. *vid. caſum apud Æmil. Prob. in vita Themiſtocl. p. mihi* 54. *Grot.* 3. *de jur. bell ac pac. c.* 5. *ubi in annotatis varia habet exempla. Barboſ. collect. ad l.* 17. *Cod Sacroſ. Eccleſ. Rever. Parens meus part.* 7. *de temporal. Eccleſ.*

19. Unde multo magis bona piis uſibus deſtinata aliquando divendi poterunt; modo debita adſint requiſita, & ſolennia; modo venditio procedat cauſâ cognitâ, eaque in Eccleſiæ commodum, & emolumentum cedat. Pretium inſuper rerum venditarum, ab adminiſtratoribus,

toribus, & œconomis bonorum Eccleſiaſticorum, fideliter in uſus eoſdem redigatur. Neque unquam hęc dici debebit venditio beneficii ullius Eccleſiaſtici, ſed rei. Ut diſparſit ratio, miniſterii, & officii eccleſiæ, atque bonorum miniſterio inſervientium. Hæc enim licite divenduntur, non illud, quod ſpeciem aliquam Simoniæ ſapiat. Præterquam quod naturæ beneficii Eccleſiaſtici repugnet, id ipſum pretio comparari. *Arg. l.* 1. *in Princ. D, de Donat. Hebr. c.* 5. *v.* 4. 1 *Timoth. c.* 6. *v.* 5. Secus, quam eſt in venditione rei Eccleſię, ubi nihil Eccleſiæ detrahitur, quod pretium in ejus locum ſuccedat. Nec minus, pretio rei venditę, teſtatoris intentioni fiat ſatis, quam ipſâ relegatâ. Ita ſi fundum Eccleſiæ reliquerit teſtator, interim reficiendum ſit templum, ſeu locus conventus, tutius erit, divendito fundo Eccleſiam ęre alieno gravatam redimere, & operariis debitam mercedem aſſignare. Non

aliter,

aliter, atque bona publica, orphanotrophii, aliorumque collegiorum divenduntur, quod id utilius ſit Reipublicæ & Collegiis; in quorum uſum atque commodum nummi impenduntur. Ut tamen ideo nemo dixerit facultates illorum locorum, vel minui, vel perire, vel in uſus ſingulorum impendi. *Nov.* 46. *Nov.* 54. *c.* 2. *Nov.* 67. *S. quoniam contingit, Nov.* 120. *c.* 7. *Auth. item ſibi invicem. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Arg. l.* 3. *Cod. Rebus Civit. vend. libr.* 11. *Nov.* 131. *in fin. Levit. c.* 27. *v.* 14. 15. 19. 27. 2 *Reg c.* 4, 5, 6, 7. *& ſeqq. uſque ad v.* 17. *Actor. c.* 5. *v.* 12. *& ſeq. Nub. Teſtium. pag.* 243. 244.

20. Quinimo non aliter, atque bona minorum, qui curatoribus ſubſunt, urgente juſtâ cauſâ, alienantur, ita & Eccleſiæ bona, quę in eo, bonis minorum etiam pauperum de moribus comparantur, ſuadente neceſſitate, & utilitate, propalam divendi poterunt. De quibus omnibus vid. *l.* 14. *in fin. Auth. Hoc jus porrectum,*

porrectum, ut ſemper major utilitas. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Anton. Fab. Cod. lib. I. tit. 9. Def. 20. n. 10. Vincent. Honded. vol. 2. p. 3. conſ. 36. n. 8. Arum. lib. 2. deciſ. 5. ibique DD. & diſp. publ. 21. c. 10. part. 2. Matt. weſemb. vol. 1. conſil. 59. Cevall. comm. contr. comm. qu. 675. Treutl. & Schiopſ. conſil. 85. n. 29. vol. 1. Merul. Pract. Civil. l. 4. diſt. 2. tit. 1. c. 9. Modeſt. Piſtor. vol. 1. Conſ. 54. in fin. Surd. de Aliment. tit. 8. priv. 46. n. 2. & tit. 6. q. 12. n. 12. 13. Caſtrenſ. ad l. 14. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. n. 6. Nicol. Everh. conſ. 30. n. 2. & ſeqq. vid. venerandum meum Parentem de Temporal. Eccl. part. 6. th. 2. & ſeq. Unde etiam de conſuetudine, nihil aliud in rerum Eccleſiæ alienatione, & divenditione ſervatur, quam ut ea fiat ex juſtâ cauſa, interveniente decreto magiſtratus, ſecundum conſtitutionem Anaſtaſii. *in l. 17. Cod. de Sacroſ. Eccl. vid. Rittersh. ad Nov. 1. c. 8. n.* 44. non aliter, atque res minorum diſtrahi ſolent. *Groenw. de ll. Abrog.*

ad

ad l. 14. *& Auth. ſeq. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*

Ita & Friſiæ ordinum conſtitutionibus, eccleſiæ, pauperum bona, ſcil. quæ tempore ſuperſtitioſo relicta fuerant, intercedente decreto alienantur, ſi cauſa ſubſit neceſſaria. *liber. ſtat. Friſ.* 1. *tit.* 13. *conſtit. de ann.* 1542. 29. *Mart.* Quæ etiam bona vel pretia inde redacta, in uſus pios aut patriæ neceſſarios impendi poſſe & debere, cenſent. *Friſ. libr.* 4. *tit.* 2. *conſt. de ann.* 1590. *Decembr.* 10. Non aliter atque decimę quandoque jure canonum, ex rebus eccleſiæ, Principibus præſtabantur ad bellum ſacrum ituris.

21. Verum ut evidens ſit, quid de jure civili, circa bonorum Eccleſiæ alienationē fuerit conſtitutum, breviter omnia in unum colligere decrevi. Ea enim alienatio vel rerum eſt mobilium, vel immobilium. Illarum tamen quam harum facilior erat diſtractio, quod majoribus ſubſint periculis, minuſque conſervari poſſint,

poſſint, ut ideo majori egeant cuſtodiâ. *Nov.* 120. *cap.* 10. *Auth. Præterea. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Rittersh. ad Nov. part.* 1. *cap.* 8. *n.* 13.

Ut tamen regulariter, cujuſcunque ſint generis, quia extra commercium conſtituta, alienari non potuerint, aut in ſtipulationem deduci; quod quæ divini juris ſunt, ſenſu in initio à me explicato, humanis nexibus illigari non debeant. *l.* 73. *D. Contrah. Empt. l.* 83. §. 5. *D. de verbor. obligat. Nov.* 7. *Nov.* 120. *l.* 21. *Cod. Sacroſ. Eccleſ.*

Id quod ſuadet ipſa ratio, favor ſcilicet, & neceſſitas religionis & divini cultus, ne ille, deficientibus mediis, & loco opportuno, & ſtipendiis miniſtrorum, tandem deſeratur.

Et quidem per Leonem Imperatorem, majoris Eccleſiæ (ſic tum temporis loquebantur) bonorum immobilium prohibita alienatio. *l.* 14. *Cod. Sacroſ. Eccleſ.* Quod etiam ab Anaſtaſio Imperatore porrectum ad

Eccle-

Eccleſias, quæ ſuberant Patriarchæ Conſtantinopolitano. *l.* 17. *Cod. Eod.*

Juſtinianus vero imperator, omnem omnino rem piæ cauſę deſtinatam, alienari prohibuit. *Nov.* 7. *Nov.* 120. *Auth. hoc jus porrectum. Cod. Sacroſ. Eccleſ.* Quæ etiam in jus Canonicum recepta. *c.* 2. §. *hoc jus.* 10. *q.* 2. *vid. Barboſ. Collect. in Cod. l.* 14. *Cod. ſacroſ. Eccleſ.*

Excipiebantur caſus varii, quibus de jure, idque juſtâ ex cauſâ, procedebat alienatio. Caſus iſtos Doctores ad quatuor capita revocarunt. Neceſſitatem evidentem, utilitatem, pietatem, & incommoditatem. *Gilken. ad Auth. hoc jus porrectum. Cod. Sacroſ. Eccl. n.* 14.

1. Cauſa erat æris alieni, quo Eccleſia erat gravata. *Nov.* 46. *Nov.* 67. §. *quoniam contingit. Nov.* 120. §. *hoc etiam.* Sic enim favendum eſt Eccleſiæ, & Religioni, ut tamen cuique, quod ſuum eſt, præſtetur.

2. Cauſa erat redemtionis captivorum,

vorum. *l.* 21. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Nov.* 7. *cap.* 8. *verb. niſi tamen. Nov.* 120. *cap.* 9. 10. Præſtantior enim eſt homo re quavis, & tutius eſt animam domino, quam aurum aſſervar.

3. Cauſa erit pauperum alimonia. *d. l.* 21. *Cod. de Sacroſ. Eccl.* Quia & hunc in uſum, habet Eccleſia bona, ne membra pereant quæ Chriſti ſanguine redempta ſunt.

4. Cauſa eſt permutationis rei Eccleſiæ, cum aliâ re Eccleſiæ, in utriuſque commoditatem. *Nov.* 54. *cap.* 2. *Nov.* 120. *cap.* 7. *Auth. Item ſibi invicem. Cod. Sacroſ. Eccleſ.* Quia res illæ non deſinunt eſſe juris divini, nec hinc Eccleſiæ capiunt detrimentum.

5. Cauſa eſt, ſi Eccleſiæ detur aliquid æquivalens, vel quid majus: quod ſuadet forte utilitas, vel neceſſitas Eccleſię, aut communitatis. *Nov.* 7. *cap.* 2. §. 1. *Authent. ſed & permutare. ibique Barboſ. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Nov.* 120. Quo caſu, quod

prius

prius erat Eccleſiæ, jam alterius, etiam alienari poterit. *Nov.* 119. *c.* 10. *correcta.* Nov. 55. Quia eccleſiæ eſſe deſiit, re præſtantiori ſubſtitutâ.

6. Cauſa eſt, ſi res mobilis, pro remuneratione meritorum in Eccleſiam collatorum, alienetur. in *l.* 14. *ibique Barboſ. n.* 13. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.*

7. Cauſa eſt, ſi res mobiles confractæ &c. ſic ut illi uſui ſacro, cui erant deſtinatæ, amplius inſervire nequeant. *l.* 17. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Barboſ. ibid. n.* 9. *& Auth. ſeq. vid. Gilken. ad l.* 14. *& Auth. ſeq. Cod. Sacroſ. Eccleſ. Duaren.* 7. *de miniſt. Eccleſ.* 9. *Sand. de Prohibit. rerum alien. c.* 7.

Si quis inſuper quærat exceptiones de jure Canonum eas reperiet apud *Treutl. conſ.* 85. *vol.* 1. *n.* 21. *Zoeſ. tit. Decretal. de Rebus eccleſ. Alien. vel non. Vallenſem Parat. Decretal. eodem.*

22. Quod ſi in caſubus prænominatis, rerum Eccleſiæ fieret alienatio, ordinariæ ſolemnitates ſervabantur,

bantur, ut primum à ſuperfluis, minus neceſſariis, mobilibus procedatur, dein ad immmobilia detur tranſitus. Utque immobilia venalia per 20. dies ſint proſcribenda, & ſub haſtâ vendenda, eique qui licitatione vicerit, addicenda. *Nov.* 120. niſi ſit ipſe œconomus, & adminiſtrator. *d. Nov.* 120. *c.* 5. §. 1. *&c.* 7. §. 1. *Auth. quibuscunque Cod. Sacroſ. Eccleſ. Barboſ. ad Authent. hoc jus porrectum. Cod. Sacroſ. Eccl.*

Ubi obſervandum eſt, etiam in ipſis caſubus jam enumeratis exceptis, de jure civili alienationem ceſſare omnimodo; ſupple, ſi alienatio uti dictum œconomo vel Syndico rerum eccleſiæ ſit facta. Si eccleſiæ res erat relicta ab ipſo Imperatore. Si hæretico divendatur. Si ea lege eccleſiæ data, ne alienetur. Si denique ſit ipſa eccleſia. *nov.* 120. *c.* 5. §. 1. *& c.* 7. §. 1. *c.* 9. *in init. nov.* 131. *c.* 14. *Azo in ſumm. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. n.* 3. 13.

Atque hæc, quoad alienationem dicta

dicta ſuffecerint. Non tamen illâ regulariter prohibitâ excludebantur alii contractus, ab alienatione diſtincti. Non ſaltem diviſio prædiorum Eccleſiaſticorum, quam inter plures Eccleſias fieri permiſerat. *l.* 14. *Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* Ut & precario jure facta conceſſio. *l.* 14. *Cod. Sacroſ. Eccleſ. Nov.* 7. *c.* 4. *ibique Gothofred.* Itidem in Emphyteuſim datio. *Nov.* 7. *c.* 3. Etiam in perpetuum. *Nov.* 120. *c. licentiam.* Nec non conſtitutio hypothecæ, ſiquidem ea ſit generalis omnium bonorum. *Nov.* 7. *c. nos igitur. Authent. qui res. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. vid. Prolixe Choppinum in Sacrâ Polit. libr.* 3. *tit.* 5. 6. 7. 8. *Robert. Marant. de Multiplici alienat. Prohib. n.* 3. 4. *& ſeqq.*

CAP. II. SECT. II.

1. *Valent relicta, licet vitioſa conditio ſit adjecta.*
2. *Objectiones removentur.*
3. *Sublato abuſu, maneat rectus bonorum uſus.*

4. *Relictum ſub conditione licitâ, ni impleatur, hæredibus erit reſtituendum, ſi eâ lege ſit relictum.*
5. *Relictum hæreticis, orthodoxæ Eccleſiæ applicandum.*
6. *Objectiones removentur.*
7. *Quid ſi artibus aut fallaciis hæreticorum, inducti ſint teſtatores, ut aliquid iiſdem relinquant? Diſt.*
8. *Quid ſi, cum liberos non haberet teſtator, omnia ſua relinquat Eccleſiæ, an propter ſupervenientiam liberorum ea revocabuntur? Diſt.*
9. *An quæ ſacra bello capta, prophanari debebunt?* Neg.
10. *Quæ privilegia bonorum, & perſonarum Eccleſiæ inſervientium?*

1. HActenus verſatus ſum circa bona, uſibus piis, & quidem pie deſtinata. Aſt quid dicendum erit ſi teſtator aliquid reliquerit piæ cauſæ, ſed vitioſe, vel additâ aut ſubintellectâ aliquâ conditione illicita, legibus, aut moribus civitatis reprobatâ, temporum rationi minus

minus aptatâ aut congruenti? Reſpondeo, quia nemo efficere poteſt, ne leges habeant locum in teſtamento, etiam conditio illicita, de jure pro nullâ, pro non adjecta reputatur; & legatum nihilominus piæ cauſæ debebitur. *l.* 55. *D. de leg.* 1. *l.* 112. *ſ.* 3, 4. *D. Eod. l.* 20. *l* 37. *D. de Condit. & Demonſtr. l.* 8. *in init. l.* 9. *l.* 14. *l.* 15. *D. de Condit. inſtit. l.* 27. *D. Eod. l.* 5. *Cod. de his quæ ut indign. Auth. licet Cod. Epiſc. & Cler.* -- *Argum. Actor. c.* 5. *v.* 1, 2, 3. *Matth. c.* 5. *v.* 23. *& c.* 23. *v.* 23. *Marc. c.* 12. *v.* 42. *Luc. c.* 21. *v.* 4. 1 *Reg. c.* 15. *v.* 3. 5. 2 *Reg. c.* 12. *v.* 4. *& c.* 18. *v,* 15. -- *Gothefred. add. l.* 5. *Cod. in comm. Hemmingi comm. in Jacob. cap.* 5. *p.* 973. *Nicol. Selneccer. Pædagog. Chriſt. part.* 1. *& ad Decalog. præcept. de Furtis. Grot. in not. ad Caſſandr. Conſ. cap.* 11.

2. Neque 1. quicquam obſtat, quod à nonnullis in adverſum dirigitur. „Qui non implet conditionem aut modum, à teſtatore legato appoſitum, id ipſum non

„ jure petit, aut quod habet, reti-
„ ner. Ut ni implere velit modum
„ appoſitum, legatum reſtituere te-
neatur. Reſp. enim, notum eſſe vel ipſis Juriſprudentiæ initiatis, modo adjecto parendum eſſe, ſi modo id honeſte fieri poſſit. *l.* 2. *Cod. de his, quæ ſub mod. leg.* Et conditionem legato appoſitam, implendam eſſe, niſi ea legibus aut moribus adverſetur; adeoque ſit turpis, inhoneſta, aut probroſa, ut quæ pro non ſcriptâ habetur. Quinimo non implentis conditionem, aut modum à teſtatore contra leges civiles, vel contra bonos mores appoſitum (puta ut reliquias teſtatoris in mare projiceret legatarius) laudandus eſt potius animus, quam vituperandus; ut à legati participatione, modum adjectum rejiciens, removendus non ſit. *l.* 8. 9. 14. 15. 27. *D. de Condit. Inſtit. l.* 20. 26. *D. de Condit. & demonſtr. l. fin.* §. *fin.* D. *Auro & argent. leg. l.* 5. *Cod. de inſtit. ſubſt. Hatenb. Ad Bullam Innoc.* 10. *p.* 114. 115. Et

Et certe, ſi ille, cui legatum eſt relictum, ea lege, ut ſeſe perſonæ infami jungat, relictum ſibi conſequitur, licet ſeſe junxerit alteri, ſed honeſtiori. *l.* 63. §. 1. *D. de condict. & demonſtr. Mynſing.* 6. *obſ.* 31. Cur non æque miniſter Eccleſiæ, ſi eâ lege relicta bona, ut ſeſe Eccleſię jungat Idololatricæ, particeps erit relictorum, licet propter Eccleſiæ idololatricæ, & à Deo adulterantis turpitudinem, puriori ſuam operam addixerit? Præſertim, cum DD. conſentientibus, non improbabiliter argumentum procedat, à matrimonio carnali ad conjunctionem ſpiritualem. *Auth. niſi rogati. ibique Cynus, Salicet. Cod. Ad Sc. Trebellianum c. ſicut alterius* 7. *q.* 1. *c. cum inter canonicos. de Electhion. c. inter corporalia. c. fin. de Tranſlat. Prælat. c. quoniam frequenter. §. porro. Ut lite non conteſtat. Everh. in loc. leg. Arg. à matr. carn. ad ſpirit. tit.* 76. *Et Claudius Cantiuncula in Topic. legalibus. Argum.* 23. *p. mihi* 67. *Barboſ. Princ. jur. litter. A. n.* 186. *ibique DD.* I 5 Ne-

Neque 2. obſtat, quod nonnulli in contrarium movent, conditionem appoſitam legato, ſi ſit impoſſibilis, vitiare de moribus ipſum legatum, idque probatum volunt, ex *Groeneweg. de ll. abrog. ad §. ult. inſt. Hæred. inſtit.* Reſpondeo enim. Conditio impoſſibilis, de jure civili duplex eſt, vel impoſſibilis per naturam, vel per mores. Illa habebatur pro non ſcriptâ, Hæc remittebatur. *l.* 9. *D. de Condit. Inſtit. l.* 20. *D. de Condit. & Demonſtr.* Loquitur autem Groenwegē de conditione impoſſibili per naturam, ſequutus Grotium, id unice ſine ullo fundamento aſſerentem, eam vitiare legatum, aut inſtitutionem reddere inutilem. *Deſſel. in not. ad Zoeſii. inſtit. De Hæred. inſtit. §. fin.* Ut ſi quis dixerit: Lego Titio centum, ſi ambabus ulnis turrim Dominicam fuerit complexus, aut digito cœlū attigerit. Quaſi non videatur teſtator ſerio agere voluiſſe. ſic *Grot.* 2. *c.*18. Quod licet ille voluerit, non tamen ipſius hâc in parte judicio

ſtandum

ſtandum erit; maxime ſi ejus ſenſum velint cauſę piæ, quæ favorabilis eſt, applicatum. Nam ſi in cauſâ matrimoniali, de moribus, impoſſibilis conditio habetur pro non adjectâ, idque favore matrimonii; quid ni etiam contemplatione piæ cauſæ, quæ æque eſt favorabilis ſi non multo magis, ut quæ pluribus exornata eſt privilegiis, atque cauſa matrimonialis, idem erit aſſerendum. *c.* 1. *c. ult. de Cond. Appoſ. Covarr. part.* 2. *de Matrimon. c.* 3. §. 1. *n.* 10. *&* §. 2. *n.* 1. *Beuſt. part.* 1. *cap.* 18. *Mozz. de Nupt. à princ. n.* 14. *Schrader. tit. Inſtit. de Nupt. p.* 2. *n.* 53. *Anton. Matth. Auct. de Divort. leg. & uſus. ad diſp. de Nupt. n.* 4. 5. Verum eſto, conditione ridiculam vitiare legatum, quod verumtamen non eſt, quid hæc ad conditionem, quæ, à teſtatore, vanâ ſimplicitate decepto, legato eſt appoſita, quæque moribus hodiernis eſt improbata, adeoque illicita, etſi tum temporis, cum legatum relinqueretur, eſſet licita, & admiſſâ?

An conditio quondam appoſita efficiet ut legatum de moribus corruat? Quis ita cenſuit, vel unquam conſuluit? Proferantur exempla, numerētur Doctores, producantur deciſiones & res judicatę? Quid an non univerſalis conſenſus Doctorum ſtatuit, hic à jure civili, receſſum non eſſe, verū adhuc, modum illicitum, & non receptum, legato appoſitum de moribus remitti, inque ejus locum ſubſtitui alium licitum, & honeſtum? Audiatur hic auctor, ab adverſâ parte allegatus. *Gronweg. d. l. ult. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. Legatum*, inquit, *uni ex Archangelis, vel martyrum, relictum, moribus noſtris, pauperibus cedere, nullus dubito.* & *ad l.* 15. *Cod. Sacroſ. Eccleſ. Si quis in teſtamento aliquid, in prohibitos uſus reliquerit, non omnino corruit legatum, ſed ex benignâ interpretatione ſuſtentatur, & relictum in ſimiles ſed licitas uſus convertitur.*

Quin imo, ſi quis bonos authores inſpexiſſet, non hac in parte diſſenſum à nobis feciſſet, ut qui ſtatuant.

tuant de moribus, illa legata quæ tempore cultus depravati, ſub conditione, aut modo improbato relicta fuerunt, in uſus licitos pios quos pariles appellant, eſſe relinquenda. Loquuntur vero de bonis eccleſiis relictis, tempore ſuperſtitioſo, eaque appellant eccleſiaſtica. Hanc Praxin fuiſſe Belgii, hęc fuiſſe decreta Principum Proteſtantium, ita tenuiſſe viros Theologos pariter atque juriſconſultos, adeoque de conſenſu univerſali hoc ipſum admiſſum fuiſſe, ut qui hic diſſentiunt ſe illiteratos prodant, & hiſtoriæ temporum imperitos, prolixe demonſtrat Celeb. *Hoorenb. ad Bullam Innoc.* 10. *à p.* 64. *& ſeqq. uſque ad p.* 110. *& p.* 137. *Buſius ad l.* 38. *D. de Leg.* 3. *Carpzov. libr.* 1. *Juriſpr. Conſiſt. tit.* 1. *defin.* 6. *n.* 8. *Matt. weſemb. part.* 1. *Conſil.* 4. *n.* 23. *Sand. Prob. rerum alien. c.* 7. §. 1. *Beſold. diſſert. de jure Majeſt. c.* 7. §. 3. *Arumæ. Diſc. Publ.* 12. *c.* 10. *p.* 2. *n.* 9. *Hœnon. diſp ad inſtit.* 4. *contr.* 4. Qui caſui noſtro convenienter ſcribit, ut

& fecerat Arumæus, *hanc quaſtionem uſum habere inſignem, in illis locis, ubi olim religio Papalis, vel alia impia approbata, jam vero orthodoxa recepta eſt.* Idque per *l.* 16. *D. de uſu & uſufr. leg.* Ad quam quis fruſtra reſponderit, quod *in d. l.* 16. *ſola celebratio memoria, certa & manifeſta fuerit teſtatoris voluntas.* in caſu autem, de quo diſputatur, voluntas teſtatoris fuerit, cultus illiciti celebratio. Reſpondeo enim, utrobique eandem fuiſſe, & eſſe rationem. In *d. l.* 16. finis & ſcopus teſtatoris fuit, ut ejus memoria celebraretur, non autem hęc fuit ſola voluntas, quia ſubjecit illi fini, modum & conditionem, *ut celebrarentur ſpectacula in memoriam teſtatoris*; de quo caſu diſputatur in totâ illa lege. Soliti enim erant teſtatores, reditus annuos, in certorum ludorum editionem relinquere, quo ipſorum memoria celebraretur. Erant autem illi ludi quandoque liciti, quandoque in civitate improbati. Non itaque inquirebatur, an in me-

moriam teſtatoris, aliquid eſſet relinquendum (ut fruſtra ſola celebratio memoriæ, hic veniat conſideranda) verum, an adjectę conditionis, ludi illiciti, habenda eſſet ratio? Et reſpondetur ſimilem ludum (non in genere illiciti, ſed in genere ludi) in locum ejus, qui illicite fuerat appoſitus, gratiâ defuncti ſubſtituendum eſſe, quo etiamnum memoria ejuſdem conſervaretur. Idem quod obtinet in caſu, à me propoſito. Teſtatores forte Pontificii aliquid Deo gratum peragere volunt, gloriæ Dei, animarum ſaluti, cupiunt conſultum, idque per cantum, miſſas, alioſque ritus ſuperſtitioſos. Quid ſupereſt, niſi ut diſpiciatur, quo genere cultus, ſed licito, intentioni teſtatoris, ejus fini ultimato poſſit fieri ſatis. Quod ſi dicas hic aliquid illiciti occurrere, ibi nihil tale apparere. Reſpondeo memoriam defuncti demereri ludo illicito, eſt in concreto factum illicitum. Ita etiam in concreto, Deum colere

cantu

eantu illicito, eſt illicitum. Verum ſeparetur hic finis à medio, & modo, ſeu conditione adjectâ, & erit utrobique aliquid licitum, & aliquid illicitum. Ut ſecundum omnes Juriſc. Proteſtantes, par ſit utrobique ratio. Ut omnes DD. eapropter, caſum à me propoſitum, per *d. l.* 16. eo quo feci modo, conſueverint explicare. Nam uti antiquitus creditum fuit, ſe talibus ſpectaculis, mortuis facere officium, quod arbitrarentur, animas defunctorum, humano ſanguine propiciari, & ideo captivas, vel malo genio ſervas mercari, in exequiis immolabant. *Tertull libr. de Spectac.* Ita poſtremis ſeculis inter Pontificios, Miſſas inſtitutas, vivis non tantum, ſed & mortuis prodeſſe, adeoque earum celebratione, animulis, egreſſis corporibus, ſolatium adferri, vana creditum fuit ſuperſtitione. Et nihilominus per illa omnia, Dei gloriæ, & honori, tanquam ultimato fini conſultum voluere; quia per exer-

citia

citia religionis, ſemper Dei gloriam intendunt, qui religionis exercent actus, adeoque ſemper Deum, tanquam finem ultimatum ſuarum actionum reſpicere ſolent. *Id quod eodem fere modo de Sacris Judæorum ac paganorum* reſpondet Choppinus: *Haud propterea*, inquit, *reges noſtri ex Judaicis criminibus in fiſcum ſuum redegere publicas iſtorum Ædes, qualicunque jam devotas religioni. Quaſi inde rei confiſcatæ donatores ipſi ſibi pararint in eccleſiam jus patronatus. Sed quia priori dominorum deſtinatione exempti fuerant fundi mortalium commercio, hoc denique reſtabat, ut ab illicito & adulterino ſacrorum cultu, ad licitum juſtumque transferrentur.* Ex *argumento Modeſtini* JC. *libr. 9. Reſp. l. legatum. D. de Uſu & Uſufruct. Renatus Choppin. de Sacrâ Politiâ. libr. 1. tit. 7. n. 30. in fin.*

3. Unde ſi bona quędam à Chriſtianis non hæreticis, ſint relicta uſui alicui illicito, religioni vetitæ, cultui ſuperſtitioſo, aut Idololatrico, non quidem, tanquam fini ultimato,

to, ſed tanquam medio fini ſubordinato, ut per illum intendant, & velint, licet erronee, finem ulteriorem, aut ultimatum bonum, Dei gloriam, in Chriſtum fidem ſalutarem, animæ bonum ſpirituale; non ea fiſco applicabuntur, ſed uſui religioſo licito, cultui divino, & ritibus in Republica probatis. Voluntates enim teſtatorum ſervandæ ſunt, in quantum ſervari poterunt, & legibus, moribusque congruenter reformandæ. Quinimo nonnunquam caſus expreſſus, non tantum trahi poterit, ad non expreſſum, ſed etiam debebit, ſi tendat ad eundem finem, quem ſibi teſtator habuerat propoſitum. *Arg. l.* 12. *D. de Rebus Dub. l.* 34. *D. Reg. jur. l.* 1. *l.* 4. *l.* 5. §. 1. *D. de Adminiſt. rer. ad civit. Pertin. l.* 13. §. 1. *D. oper. public. l.* 16. *D. de Uſu & uſufr. legat. Arg. l.* 22. *in init. D. ad Senatuſc. Trebell.* -- 2 *Reg. c.* 12. *v.* 18. *& c.* 22. *v.* 3. 4. Non aliter enim, atque bono Medico incumbit, ſi medicina alicui morbo, ab alio quo imperito,

imperito, adhibita, experientiâ magiſtra, potius officiat, quam proſit, eam tollere, & meliorem ſubſtituere, quo conſequatur finem communem, quem uterque intendebat, puta ſanitatem. Ita etiam eſt pii Magiſtratus officium, ea, per quę non ad finem intentum, animæ ſalutem &c. perveniri poterat, tollere, & convenientiora per Eccleſiæ miniſtros ſubſtituere. Id quod etiam praxis obſervat totius Germaniæ, *ſecundum ſanctionem pacis religioſa de ann.* 1555. §. 21. *Arum. p.* 2. *Diſc.* 12. *diſp.* 10. *n.* 10. *Hanon. loc. ante alleg. Zepper. Polit. Eccleſ. lib.* 2. *c.* 26. *& de leg. Moſaic.* 4. *c.* 10. *Beſold. de Majeſt. ſect.* 2. *c.* 7. *Carpzov. libr.* 1. *Juriſpr. Conſiſtor. tit.* 1. *def.* 6. *n.* 8. *Matt. weſemb. part.* 1. *Conſil.* 4. *n.* 23 96. *Sand. de Prohib. Rer. alien. c.* 7. Unde & Mattheus Weſembecius audacter ſtatuit, etiam monaſteria, una cum bonis, intra territorium Principis alicujus ſita, deficientibus monachis, non eſſe fiſco applicanda. Quia bona,

bona, ad pium uſum Eccleſiæ relicta, nunquam poſſunt vacare, aut Eccleſia deficere, licet forte hæc, aut illa domus deficiat. Sicut nec legatum, in talem uſum relictum, caducum efficitur, quod ad alium pium uſum converti poſſit, & debeat, & ab abuſu, in uſum meliorem reformari. Sicuti in veteri teſtamento, cum quid impurum Deo relictum erat, nec propterea offerri poterat, ejus æquivalens, ſeu æſtimatio, nihilominus Deo erat debita, atque ſecundum votum, & intentionem voventis, præſtanda. *Levit. c. ult. v.* 11. 12. 13. Et certe omnes illi qui forte hic mihi ogganniunt, cenſent paſtoralia, è Papatu ad nos tranſlata eccleſiæ noſtrę, piiſque uſubus applicari debere. Licet in Papatu ſacerdotes à miniſtris noſtris, ſecundum eoſdem, differant, tanquam Belialis ſervi, à ſervis Dei vivi. Hucque referri poterit, dictum Imperatoris in *l.* 57. *Cod. Epiſc. & Cler. Homini enim*, inquit, *cuique*,

cuique, vitæ curſus unus ab opifice datus, cujus finis eſt omnino mors. Venerabilibus vero domubus, & earum cœtibus, indeſinenter à Deo cuſtoditis, non eſt, neque ſecundum earum poſſeſſiones, inducere aliquem metum, ſed quouſque utique permanſerint venerabiles domus, (loquitur generice, & ſucceſſione eadem) *(manent autem in perpetuum, & uſque ad ſaculi hujus conſummationem, quouſque Chriſtianorum nomen apud homines erit, & coletur) æquum itidem eſt manere & in perpetuum, relictas erogationes, aut reditus immortales ſemper piis actionibus, nunquam ceſſaturis, ſervituros.* ſecundum *Bartol. in l. pater. §. Tuſculanus. D. Leg. 3. Schurff. conſil. 48. licet. cent. 1. per tot.* Accedit, quod iniquum ſit, ea quæ pro ſalute ſua, unuſquiſque venerabili Eccleſiæ, pauperum cauſa contulerit, ab his, quos maxime conſervare convenerat, in alterum transferri. Ut ordinationi divinæ, & bonis legibus reſiſtat Princeps, qui res, & bona Monaſteriorum, & Eccleſiarum ad ſe rapit. Et quod pro

pro communi utilitate datum eſt, propriis uſibus applicat. Sunt verba *Matt. weſemb. ibidemque textus & DD. alleg. conſ.* 210. *n.* 14. 19. 20. 21.

4. Quid ſi igitur Teſtator legato, alicui collegio Eccleſiaſtico, ſub uſu licito, relicto, conditionem adjecerit, ut, ſi in alium uſum convertatur, hæredibus ſit reſtituendum? Reſpondeo, id etiam, ſi uſus præſcriptus negligatur, hæredibus eſſe reſtituendum. Aut, ſi nulla mentio injecta hæredum, ab eo retineri poterit, à quo, quod erat relictum, eſt præſtandum; ut deficiente conditione non amplius debeatur. Voluntas enim teſtatoris pro lege ſervanda, & adimplenda eſt, in quantum nihil complectitur, quod legibus adverſatur. *l.* 21. *§.* 3. *D. de Ann. Leg. & fideic. l.* 17. *D. de uſu & uſufr. leg. l.* 38. *§.* 6. *in fin. D. de leg.* 3. *Arg. l.* 1. *Cod. Sacroſ. Eccleſ. Argum. Epiſtol. ad Hebr. cap.* 9. *v.* 15. 16. 17.

Quid ſi collegium ſit diſſolutum poſtquam legatum ab hęrede eidem

præſtitum

præſtitum fuiſſet, An revocabitur? Non videtur. *vid. weſemb. conſ.* 4. *n.* 23. *& conſ.* 37. *n.* 6. *Tiraquell. de Privil. piæ cauſæ. Privil.* 91. An igitur inter otioſos, & ignavos, non publico, aut Eccleſiæ, verum ſibi per omnia inſervientes diſtribuetur? Multo minus. Unde etiam, de moribus, diſſolutis Monachorum Collegiis, bona eorundem, piis uſibus reſervari, tradit, *Buſ. add. l.* 38. *vid. Martyr. claſſ.* 2. *loc. comm. cap.* 4. *n.* 52. *& Prolixe Horenbeecq. Ad Bullam Innoc.* 10.

5. Quid ſi Eccleſiis hæreticorum bona ſint relicta; Fiſcone, an Eccleſiæ orthodoxæ applicabuntur? Reſpondeo, affirmando poſterius. Ratio eſt, quia ubi unus finis communis, ubi idem finis ultimatus, Dei trinuni gloria, quam etiam intendunt hæretici licet vitioſè; in tantum etiam, ut ipſorum baptiſma reiterare, fas non ſit, ibi certe non eſt curandum de mediis (non quod finis ſolus formaliter opus faciat

faciat bonum) aut conditione aliquâ appoſitâ, ut quæ per aliquam rationem parilem ſuppleri poteſt. Quinimo etiam ab hæreticis relicta (licet animum, forte depravatum, & modum appoſitum repudiet Deus) Deo relicta dicuntur, etiam acceptata, in quantum ab Eccleſiâ, aut collegio Eccleſiaſtico, juſte, & in foro ſoli acquiſita; cui invito auferri nequeunt. Non aliter enim atque contemplatione matrimonii facta donatio, tenet, licet non bono fine, non bonâ intentione initi; licet bonorum intuitu, pulchritudinis, non gratiâ liberorum, aut mutui auxilii inchoati: Ita non rite, forte etiam illiciti finis gratiâ donata eccleſiis, at tamen donata cenſebuntur, & adquiſita iiſdem. 32. *diſtinct. q.* 2. *addit. ad Azonem in ſumm. Cod. de ſponſal.*

Idem etiam ſuadent exempla piorum regum, qui, quæ Idololatricis temporibus in Iſraële, templo Dei fuerant oblata, ſincero cultui applicarunt.

carunt. Non aliter, atque Eleemoſynæ acceptę ſunt Diaconis, nec in uſum alium convertendæ, licet forte quiſpiam improbus, aut hæreticus, etiam non bonâ intentione, & animo, & manibus impuris, eas offerat. Quid quod bona Orphanotrophiorum, ſub hæreticis Principibus, orphanotrophiis relicta, etiam eum in finem ſubordinatum, ut ibidem orphani cultu ſuperſtitioſo imbuerentur, non convertantur, aut citra neceſſitatem converti debeant, in alium uſum toto genere diverſum. Ut ad minimum eodem jure Collegium Eccleſiaſticum, vel Eccleſia gaudere debeat. *Argum. tot. tit. Cod. ne Sanct. Baptiſm. iteret. l.* 16. *D. de uſu & uſufr. Leg. l. pen. D. Condit. Inſtit. l. fin. in fin. D. Aur. Arg. leg. l.* 3. *in init. l.* 5. §. *cunctis. Cod. de Heret. l.* 12. *Cod. de Judæis. Nov.* 16. *Nov.* 37. *in init. Nov.* 131. *c.* 14. *Nov.* 132. *Argum. l.* 3. *Cod. Inſtit. & ſubſt. l.* 11. §. 11. *D. leg.* 3. -- *Argum.* 1 *Reg. c.* 15. *v.* 3. 15. & 2 *Reg. c.* 12. *v.* 18. *Bar-*

tol. ad d. l. 16. *Schurff. cent.* 1. *Conſ.* 48. *Tiraquel. de priv. pia cauſ. priv.* 135. *Matthias weſemb. vol.* 1. *conſ.* 37. *n.* 7. *& ſeqq. Modeſtin. Piſtor. vol.* 1. *Conſ.* 34. *Carpzov. l. Reg. German. cap.* 4. *ſect.* 4. *Prolixe Arum. Diſc. publ.* 12. *cap.* 10. *Martyr. loc. comm. claſſ.* 2. *c* 4. *n.* 52. *Conſil. Theol. Ultraj. p.* 15. 16. 49. 2. *Pars Conſil. Theol. p.* 13. 14. *Henric. Hanon. diſp. ad inſtit. jur.* 4. *controverſ.* 4. *Horenb. ad Bull. Innoc.* 10. *p.* 105. 111. 112. 115. 119.

6. Neque 1. obſtat. *l.* 4. §. 1. *Cod. de Haret. & Manic.* 1. Quia ibi non ipſa bona, ab hæreticis, Eccleſiis relicta, fiſco applicantur, ſed bona ipſorum hæreticorum; eo quod hæreſis cenſeretur eſſe crimen. 2. Non etiam illa hæreticorum bona ſemper fiſco applicantur, quia liberis orthodoxis. *l.* 15. *Cod. eod. vid. & l.* 4. *Cod. Apoſtat.*

Neque etiam 2. obſtat. *l.* 10. *Cod. de Haret.* Quia ibidem Imperator illas ipſas res vindicat Eccleſiæ orthodoxæ. Quæque ibidem fiſco vindicari

vindicari dicuntur, non erant Eccleſiæ relicta bona, ſed ab orthodoxis prædia quæpiam, ipſis hæreticis divendita, quibus ipſi templum, aut Eccleſiam impoſuerant. Licet quandoque privatorum domus, in quibus ſua exercitia celebrabant hæretici, non fiſco applicata fuerint, verum Eccleſiæ orthodoxæ. *l.* 3. *in init.* & *l.* 8. §. 3. *Cod. de Haret.* Ne jam dicam, etiam illa omnia, quæ hic objiciuntur, eſſe correcta per *Nov.* 131. *c.* 14. per quam & *Nov.* 58. eſt correcta. Ut Imperator poſtmodum, majorem eccleſiæ, idque jure merito, quam ſui habuerit rationem. *Gothefred. ad d. l.* 10. *vid. Cujac. ad d. Nov.* 131. *in fin. Rittersh. Nov. p.* 1. *c.* 4. *n.* 6.

Neque 3. obſtat. Quod Paganorum ſacrificia, facultates, templa, Eccleſiæ, per Imperatores Fiſco, non orthodoxę Eccleſiæ fuerint applicata. *l.* 1. §. 1. 2. *l.* 5. *l.* 10. §. 3. *Cod.* Quandoque etiam civitati. *l.* 9. *Cod. de Pagan.* uti & Fiſco applica-

 bantur

bantur eorum domus, ubi paganica ſuperſtitio fuerat exercita. *l.* 8. *Cod. de Pagan.* Reſp. enim 1. Quod etiam à piis Principibus, in uſum orthodoxæ Eccleſiæ fuerint deſtinata. *l.* 5. *in fin. Cod. de Pagan.* 2. Conſtitutiones, quæ Fiſco bona applicari jubent, intelligendæ de locis, quę falſis Diis conſecrata fuerant, non quæ inter Chriſtianos, à Chriſtianis, licet hæreticis, licet ſectariis, fuerant deſtinata. Illa à gentilibus, qui Deum Chriſtianum ignorarunt, dæmoniis fuerunt applicata. 1 *Corinth. c.* 10. *v.* 20. Hæc Deo vero, id eſt uni, & trino, licet cultu, & modo ſuperſtitioſo; ut uſui pio, & parili in Eccleſiâ Chriſtianâ ſint applicanda, cui ab initio, & ex primâ relinquentis deſtinatione fuere debita. *vid. Clapmar.* 5. *de Arcan. Reipubl. cap.* 4. *Beſold. diſſert. de majeſt. c.* 7. *Matth. weſemb. p.* 1. *conſ.* 37. *n.* 6. 7. 8. *& conſ.* 210. *circa finem. Perez. Tulden. alioſque ad tit. Cod. de Pagan.* Neque inſtari poterit, quod

pagani,

pagani, & Hęretici inter ſe comparentur. *l.* 10. *§.* 4. *Cod. de Pagan.* Quia comparatio, non eſt ratione bonorũ, ab iiſdem relictorum, ſed reſpectu quarundam pœnarum, quas etiam hæretici merentur. Præterquam quod omnis comparatio claudicet, & tantum procedat in iis, ubi par eſt ratio, non ubi ratio diſpar eſt. Ne dicam quod etiam inter Imperatores Chriſtianos nonnulli ex æquo & bono fana paganorum, iiſdem rite expiatis cultui Chriſtianiſmi, licet tum temporis ſuperſtitioſo, applicari voluerint. vid. *l. quamquam. Cod. Theodoſ. de Pagan. Sacrific. & Templ. & exempla apud Renat. Choppin. de Sacrâ Politiâ. libr.* 1. *tit.* 7. *n.* 30.

Neque 4. obſtat. Quod quæ hæretici Eccleſiis ſuis reliquerunt, noluiſſent Eccleſię orthodoxæ applicari, ut tale quid fieri nequeat contra intentionem teſtatorum. Reſpondeo enim 1. Neque etiam, imo multo minus, ſua relicta voluiſſent Fiſco, aut otioſis hominibus, quorum non-

nulli forte ſpecietenus ſunt Chriſtiani. 2. Quin imo non dubitandum, quin, ſi melius fuiſſent informati,& è verbo Dei in verâ religione inſtituti, ſua relicta maluiſſent Eccleſiæ orthodoxæ. 3. Quia, etiamſi hoc noluiſſent, attamen ipſorum ultimæ diſpoſitiones poterunt, ac debebunt ſecundum leges reformari, ne quid turpe, aut bonis motibus contrarium includant, per notata ſuperius. 4. Quia probabile eſt eos, ſi in Republicâ oriretur religionis diverſitas, hoc maluiſſe, ut ſaltem piæ cauſæ, puta pauperibus, aut orphanotrophiis, bona à ſe Eccleſiæ Romano-papali relicta, applicarentur. Cujus rei inſigne exemplum ſuggerit. *Radel. deciſ. Cur. ſupr. Traj.*
„ 23. Ubi, cum quidam D. Georgius ab Egmont præſagiret fore, ne in poſterum, in eadem provinciâ, papalis Religio, cui erat addictus, exerceretur publice, reditum aureorum centum Capitulo S. Martini reliquit, eâ lege, & con-
„ ditione,

„ditione, ut in honorem ſacramen-
„ti, primus cujuſque menſis Jovis
„dies, celebraretur. Si vero acci-
„deret (quod abominabatur) eun-
„dem omitti, aut non celebrari,
„tum annuos reditus centum aure-
„orum, per civitatis Rectores, in
„uſum orphanotrophii applicari
„voluit. Et hoc ipſum eſt, quod Pontificii noſtris vitio vertunt, quod cum ipſis erepta ſint Eccleſiaſtica, non in meliorem pium uſum convertantur, ſed hominibus ignavis, & otioſis applicentur. Ita enim *Taldenus in Cod. tit. de Pagan. n.* 4. *Unde hæreticorum* (ſic noſtros appellat) *fraus detegitur, qui reformationem Eccleſiæ ſuæ defectioni obtendentes, in tot Monaſteriorum, Eccleſiarumque bona invaſerunt, tanquam ignavos fucos expulſuri à divitiis, quæ luxum eorum & vitia inſtruerent. Nam ſi id ipſis conſilii erat; cur melioris inſtituti, & diligentioris in Deum cultus, homines non ſubſtituerunt? Cur in prophanos ut plurimum uſus, eas opes convertunt?*

Non obſtant. 5. ea loca, quæ è ſacro codice petuntur, ſcilicet, quod, quæ Idololatricis oblata temporibus, deſtructa fuerint, nec templo Dei, aut ejus uſui applicata. 2 *Chron. c.* 30. *v.* 14. & *c.* 31. *v.* 1. Et quia forte permulta ibi oblata fuerant idolis gentium, non Deo Iſraëlis, quæ ideo dæmoniis oblata dicerentur. Et quia ibi non agitur de bonis immobilibus, aliiſque cultui divino relictis, ſed inſtrumentis idololatricis, cultui tantum Idololatrico, & uſibus Idololatriæ immediate inſervientibus, qualia erant Idola, altaria, &c. Idque vel propterea, quod nullus potuiſſet eſſe uſus eorundem in cultu vero, vel quod metus eſſet ſuperſtitionis, aut idololatrię de novo oboriturae, pręſertim in illa gente, quæ in Idololatricum cultum eſſet prona, ac pendula, ſi vel ulla indicia, vel reliquiæ Idololatriæ ſuperſtites fuiſſent. Neque hinc magis ſequetur, bona ab Hæreticis dicata, eſſe penitus deſtruenda,

ſtruenda, quam quæ revera ſacra Deo pie, & ex ejus præſcripto erant dedicatæ. Quoniam & ipſa, ſi modo metus eſſet Idololatriæ, vel populus per illa ad idololatriam invitaretur, deleta fuerunt, ut nihil eorum ſupereſſet. Exemplo ſerpentis ænei quem ſublatum & corruptum voluit pio propoſito, pius rex Eſechias, licet Deo jubente in ſacrum ſignum eſſet erectus. 2 *Reg. c.* 18. *v.* 4. Verum, quam belle hinc colligetur, omnia, quæ ab Hæreticis ſunt relicta Fiſco eſſe applicanda? Quod tamen erat demonſtrandum. Id enim facile conceſſero, talia quæ ab hæreticis ſunt relicta, quorum ratione metus eſt ne in ſimiles hæreſes incidant homines, deleri & everti poſſe funditus; hinc tamen non ſequeretur fiſci prætextu, otioſis ventribus, in fraudem Eccleſiæ orthodoxę, ea fore applicanda. Unde ſi ceſſet ſuperſtitionis metus, in tantum ea non eſt averſatus Deus, ut etiam ex iis, quæ idolis eſſent

relicta, ſibi juſſerit ſacrificium parari. *Judic. c.* 6. *v.* 26. 27. *Joſ. c.* 6. *v.* 19.

Non denique obſtat, locus *Exod. c.* 32. *v.* 20. ubi Moſes vitulum aureum, idolum Iſraëlitarum in pulverem redegit, & potandum dedit Iſraëlitis, non autem tabernaculi cultui applicavit. Reſp. 1. Sed neque applicavit fiſco, neque uſibus privatorum. 2. Quis negat eam vituli materiam, ſeu maſſam auri, ablatâ formâ, ad uſum tabernaculi referri potuiſſe. 3. Videtur hic Moſes aliquid feciſſe turbato animo, turbatis affectibus, uti ipſe de ſe loquitur, non aliter, atque tabulas legis in conſpectu populi confregit. *Exod. c.* 32. *v.* 19. 4. Poterit hic eſſe jus ſingulare in Moſe, quod voluerit penitus delere vitulum aureum, eumque in pulverem redigere, eisque potandum dare. Et ut deſignaret, quam non hanc Idololatriam, hoc factum deteſtaretur, ſic ut nullas reliquias ſupereſſe voluerit, eaſque

quaſi

quaſi in profundum ſubmerſas. Et ut manifeſtum faceret, quam non res nihili eſſet idolum, ut quod in ſcrobem redigere potuerit, & ita reddere potabile. Et ut indicaret Iſraëlitas illos meritos eſſe, qui iram, & maledictionem Dei guſtarent, imo ebiberent. Sic interpretes Belgæ reſpondent *ad d. loc. Exod. & Deuternom. c. 9. v. 21.*

7. Verum quid dicendum erit, ſi teſtatores, Clericorum, aliorumque artibus, fraudibus, ac fallaciis inducti ſint, ut Eccleſiæ ſua bona, aut potiſſimam eorum partem relinquerent? Eruntne ultimæ voluntates reſcindendæ, ac revocandæ, an potius Eccleſiis bona ſunt relinquenda? Reſpondeo.

1. Blanditiis, & verborum delinimentis teſtatorem in ſuam trahere opinionem adeoq; ejus voluntatem benignam elicere, permiſſum eſt, etiam licitum de jure. *l. fin. D. ſi quis aliquem teſtari prohibuerit, l. 70. D. Hæred. inſtit. Jaſon. in l. 1. n. 4. Cod. eod.*

Menoch. arbitr. libr. 2. c. 395. in fin. Paul. Matthias wegnerus Conſil. Francon. 100. *n.* 6.

2. In dubio autem præſumitur actus ſpontanea voluntate, non dolo, metu aut coactione geſtus. Arg. *l. cum te.* 2. *Cod. quod met. cauſ. l. merito.* 51. *D. Pro ſocio. Alciat. Reg.* 3: *præſumpt.* 7. *in Princ. In terminis teſtamenti Socin. conſil.* 105. *Cardin. Pariſ. conſil.* 67. *n.* 6. *vol.* 3. *apud Paulum Matthiam loc. alleg.* Maxime ſi non tendit in commodum ejus, qui coëgiſſe dicitur. Quod obtinet in caſu propoſito, quo aliquid non forte cogenti ſacerdoti, ſed ordini relinquitur. Arg. *l.* 7. *D. quod cujuſque univ. nomin. Paul. Matth. d. l. n.* 13.

3. Si tamen probari poſſit, dolo aut metu impeditum fuiſſe teſtatorem, aut inductum, ut teſtaretur. *Arg. l.* 2. *D. Probat. tot. tit. D. Cod. Si quis aliq. teſtar. prohib. vid. l. Lucius* §. *ſempronia. D. leg.* 2. *l. eum qui.* §. *fin. D. quibus ut indign.*

4. Et quidem tempore illati impedimenti,

pedimenti, & factæ prohibitionis teſtatorem voluiſſe facere vel non facere vel immutare teſtamentum, *l. 1. in princ. verb. volente eo facere. D. ſi quis aliq. teſtar. prob. Jaſon Conſil. 31. col. pen. Menoch. caſ. 395. n. 30. DD. in l. fin. Cod. eod.*

5. Et quidem illos voluiſſe, qui conquæruntur, hæredes inſtituere. *Arg. l. 2. D. Probat. Bartol. in l. fin. n. 9. D. ſi quis aliq. teſtar. Prob. Salic. in l. 1. Cod. eod.*

6. Non fiſco, ſi cognati ſint proximiores, quam is eſt, qui coëgit teſtatorem, debebitur hæreditas. *l. 2. §. patris. D. Si quis aliquem teſtari prob. Gloſſ. in l. 1. D. eod. Bartol. in l. fin. n. 9. D. eod. Chaſſ. ad Conſuet. Burgund. verſ. 27. Menoch. caſ. arbitr. 395. n. 14.*

7. Verum illis, quos probabiliter teſtator fuiſſet inſtituturus; quibus etiam jure noviſſimo in duplum actionem ejus quod intereſt competere volunt, ex *Nov. 134. c. 3. Bartol. in l. fin. col. 1. verb. ſin autem. D. ſi quis*

aliq. teſtar. Prob. Jaſon in l. 1. n. 2. in fin. Cod. eod. Menoch. l. cit. n. 29.

8. Si tamen per vim aut dolum relicta, vel extorta cuiquam, longiſſimo tempore eccleſia in ſuo habuerit patrimonio, nec ei ab hæredibus teſtatorum ulla quæſtio aut lis mota fuerit, aut etiam nulli ſuperſtites ſint, teſtatoribus conſanguinitate juncti, proculdubio in omnem eventum ea ſibi retinebit eccleſia. Ut etiam in ſimili fere caſu Deus, Sacerdotibus talia voluerit applicata, *l. 4. Cod. de Præſcript. 30. vel 40. ann. Numer. c. 21. v. 8. 9. 10.*

De moribus equidem id certiſſimum, per vim extorta, fiſco non applicari; quod pœnæ caduceratiæ, aliæque fiſcum locupletantes, omnino ſint ſublatæ. *vid.* ad hæc omnia *Bucerum de Regno Chriſti. c. 13. Horenb. ad Bull. Innocentii 10. p. 115. in fin. Matth. Nethen. Inſtruct. Hiſtoric. de Canon. p. 20. 22. Hartm. Piſtor. lib. 1. q. 29. per tot. Peck. 4. de Teſtam. conj. c. 3. DD. ad l. ult. Cod. ſi*

quis aliq. teſtar. prob. Fabrum. dec. 38. n. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. Menoch. 2. de arbitr. caſ. 395. n. 41. Sand. 4. deciſ. 1. defin. 11. Groenweg. de ll. abrog. ad l. 4. Cod. inceſt. nupt. diſp. 10. Rev. Parent. de Temporal. Eccleſ. n. 3. Tholoſ. Synt. jur. lib. 2. c. 18. & lib. 33. c. 15. 16.

8. Quid ſi nonnullus, cum liberos non haberet, neque ſe illos ſuſcepturum ſperaret, retento ſibi ad vitam uſufructu omnium bonorum, proprietatem, cauſę pię, aut Eccleſiæ reliquerit, donatione ſcil. inter vivos (quæ donatio valet. *Nov. de Sanct. Epiſc. c. ſi quæ.*) poſtmodum autem ex inopinato liberos ſuſceperit; An à ſe factam, in Eccleſiam liberalitatem revocare poterit? Reſpondeo, inſpecto jure civili, inſpecto Cęſaris foro, non poterit. Neque enim donatio alicui facta (excepto caſu. *l. 8. Cod. de Revocand. donat.* quæ loquitur de liberto in ordine ad patronum) revocatur, ex aliâ quam ingratitudinis cauſâ, in donatorem com-

commiſſâ. §.2. *ſciendum. Inſtit. de Donat. l.* 10. *Cod. de Revoc. donat.* Multo minus ſi Eccleſiæ facta donatio. *Bartol. in l. Titia Sejo. §. Imperator. D. leg.* 2. Æquius tamen facturum donatarium, idque jure poli, ſi liberis donatoris, ſi non omnia, ſaltem magnam donatorum partem reſtituerit, cenſet Auguſtinus, laudato ad hoc facto Aurelii, Epiſcopi Carthaginenſis. *In poteſtate*, inquit, *habebat Epiſcopus non reddere, ſed jure fori, non jure poli. c. quicunque.* 17. *q.*4. *Tiraquel. add. l.* 8. *Rittersh. ad Nov. p.* 1. *c.* 6. *n.* 6. *& apud Salicet. ad l.* 1. *n.* 16. *Cod. Sacroſ. Eccleſ.* caſu, quo filiis exiſtentibus, Eccleſia fuerit inſtituta. Mihi tamen non ita videtur; quod textus ſacer non diſtinguat, verum inferat, abſolute ea eſſe Dei, eſſe ſacerdotis, quæ Deo fuerant oblata. *Numer. c.* 5. *v.* 9. 10. *ibique Belga commentat.* licet quandoque res æſtimatæ fuerint redemptæ. *Levitic. c.* 27. *per tot. Sic ſentit Gloſ. in c. ult.* 17. *q.* 4. *Bartol. in l.* 87. §. 3. *de leg.* 2. a-

liique

liique apud *Mynſ. 6. Obſ. 95. Treutl. vol. 2. diſp. 19. theſ. 7. litt. c.*

Non tamen ea propter quiſpiam exiſtumaverit, me velle, bona liberis erepta, & eccleſiis, aut aliis piis locis applicata. Ut ita qui nati, quibuſque jure quaſi naturæ, debetur hereditas, eâ ſint eccleſię contemplatione, ſine juſtâ & rationabili cauſâ, defraudandi. Quinimo conſtitutionibus etiam quorundam Imperatorum, iis obviam itum, qui exhæredatis poſteris, eccleſiaſticis ſua relinquerent. Exſtat enim capitulare Carol. & Ludov. Imperatorum. l. 1. c. 89. *Quo ſtatutum, ut nullus quilibet Eccleſiaſticus ab his perſonis res deinceps accipere præſumat, quarum liberi aut propinqui hâc inconſulta oblatione poſſint rerũ propriarum exhæredari. Quodſi aliquis deinceps hoc facere tentaverit, à Synodali vel imperiali ſentẽtiâ, modis omnibus feriatur.*

9. Verum an quæ Deo relicta, aut oblata, aut conſecrata, id eſt ab uſu communi ad uſum peculiarem ſanctum aut pium ſepoſita, ſi

bello

bello ſint capta aut occupata, adeo victoris arbitrio ſubjicientur, ut ea ad lubitum prophanare jure poſſit, aut debeat? Reſpondeo, etſi plerique diſtinguant inter bella barbarica, & civilia, qualia poſtrema appellant bella inter Chriſtianos, & in hiſce negativam omnes tueantur; quo tamen magis hujus veritas innoteſcat, indiſtincte in negativam ſententiam inclinabo. Quam ſuadet recta ratio, dictat æquitas, jus naturæ, atque jus gentium incorruptum; licet forte quarundam gentium mores depravati, mera civilis conſideratio, hic diſſidium pariant. Utque ordiar à ratione rectâ, præmittam certius nihil eſſe, quam quæ Deo ſunt relicta, humanis juribus eſſe exempta, ab uſu vulgari ſeu communi ad uſum ſingularem divini cultus tranſlata; adeoque nullius hominis in bonis reperiri. Etiam ea ipſa quę ab hoſtibus noſtris, divinis cultibus ſunt aſſignata, licet forte apud eoſdem religio vana & ſuper-

perſtitioſa. Fruſtra enim aliter quæreretur, an quę ſacra ab hoſtibus capta, prophanentur, niſi antea ſacra fuiſſent, non prophana. Nam quę nunquam ſacra fuerunt, prophana ſemper exſtiterunt, non prophana demum fiunt per occupationem. De illis itaque contentio erit, quæ ſacrorum jure veniunt, iiſque annumerantur. Quibus præſuppoſitis, etiam manifeſto colligitur, illa bona, præſumpto aliquo belli jure prophanari non potuiſſe. Quoniam in bonis privatorum, in bonis Principis, aut in ejuſdem patrimonio nunquam fuerunt, à privatis, publicis fiſcalibus, diſtincta. §. 1. 3. 4. 5. 6. 7. 8. *Inſtit. Rer. Diviſ. l.* 1. *l.* 6. §. 2. 3. *D. eod.* Ut quæ divini ſunt juris, id eſt Deo, piis uſibus relicta. *l. ult. Cod. Sacroſ. Eccleſ.* nonniſi eodem diſpenſante, aut de jure ſuo remittente, ne quidem à victore, qui etiam Deo ſubeſt, in uſum prophanum converti debeant. Idque ſecundum illud pervulgatum: quod noſtrum eſt, ſine

ſine facto noſtro ad alium transferri non poteſt. Cum autem indubitati juris ſit illum caſum, quo Dei bona capta ſunt in bello, à Deo exceptum non eſſe; ſic ut Divini juris eſſe non deſinant: non video quo jure ereptitiis ſint annumeranda. Quod in tantum verum eſt, ut ſi, qui hoſtium numero nobis ſunt, iis tanquam prophanis abutantur, pro lubitu, (quod ſemper in contemptum divini numinis fieri, cujus ea erant jure peculiari, eſt ſtatuendum,) eriminis Sacrilegii ſeſe reos faciant. *Eſræ. cap.* 1. *v.* 7. 8. *& ſeq. & c.* 5. *v.* 14. *Jerem. cap.* 27. *v. ult. Daniel. c.* 5. *v.* 2. 3. 23. *Interpretes Belgæ in notis ad v.* 3. *Gail.* 2. *obſerv.* 61. *n.* 5. Ut hic locus eſſe debeat illi Tertulliani, licet in caſu diſſimili, de Pudicitiâ. Quis permittit homini donare, aut prophanare, quæ Deo ſunt reſervanda; aut ea belli fortunæ exponere, quibus cum pugnare nefas eſt, quod ſint aliena.

Quinimo, ſi conceſſero, in bello capta,

capta, omnino fieri capientium, omniaque devictorum, ſubeſſe nutui & arbitrio victoris immoderati, non tamen quiſpiam eo devenerit inſaniæ, ut id extenderit ad illos ipſos, inter quos nullum diſſidium, nulla pugna. Verum cum inter Principem alicujus populi, & eccleſiam alterius populi, nulla lis erat, nullæ capitales inimicitię, ſaltem nunquam cum Deo prælium initum, aut illi bellum ritè per fæcialem indictum, niſi quis adinſtar Juliani Apoſtatæ Chriſto velit bellum denunciare, aut ſecundum illud in Actis c. 5. v. 40. θεομαχεῖν: non etiam effectus ille belli, qui more forte non per omnia probando, devictorum bonis adhęret, hic locum invenire poterit. Ceſſante quippe omni bellandi cauſâ, ceſſat etiam effectus. Per jura vulgata apud *Tiraquell. Tract. ceſſant. cauſ.* Quo etiam recte illud Polybii tranſlati in excerptis Peireſianis retuleris: *cum hominibus iraſcaris, ob id impie in Deos agere velle, ſummæ ſtultitiæ ſignum eſt.* Quid

Quid enim hoc aliud eſt, quam gygantum more cœlum oppugnare, & figmenta veterum poëtarum, ad noſtra transferre tempora? Neque enim aliter inter antiquos Appollonius Tyanæus hanc interpretatus eſt fabulam, quam quod Deorum Templis atque ſedibus vim intuliſſent homines nefarii.

Accedit & alia de jure ratio, quod injuria ab uno facta, alteri, qui ejus particeps non eſt, nociva eſſe non debeat; adeoque ſententia in injuriarum autorem lata, alteri, qui extra contentionem erat poſitus non debeat obeſſe. *Arg. l. 5. §. 5. D. Nov. Oper. Nuntiat. l. electio. §. fin. D. Noxal. l. 3. D Tranſ. l. 1. D. de Alien. judic. Mut. cauſ. fact. l. 3. Cod. ne uxor pro marito.* Unde ſi Princeps juſtam vicino Principi, belli indicendi occaſionem fuerit nactus, id ipſum vicino Principi, ejuſque ſubditis, & bonis, debebit eſſe damno & malo, non Deo, non eccleſiæ, quę in nullo peccavit, ut nullam eapropter

ꝑter mereatur pœnam. *Arg. l. 2. §. 1. D. ſi quis aliq. teſtar. Prohib. l. 5. verb. ſciente emptore. Cod. quod met. cauſ. l. 9. §. 1. verb. ſed licet. D. eod. l. 155. l. 173. §. 2. D. de Reg. jur. ibique DD. & tit. Cod. Quibus Res judic. non noc. Modeſtin. Piſtor. vol. 1. conſil. 54.*

Hinc ſi delictum aliquod commiſerit ſacrorum miniſter, vel diſpenſator bonorum eccleſiæ, vel œconomus, vel Epiſcopus, vel collegium eccleſiaſticum, aut capitulum, etiamſi illis commiſſi nomine bellum ſit indictum, non tamen id ipſum eccleſiæ, ejuſque facultatibus præjudicium adferet. Non magis atque dolus tutorum vel curatorum pupillis, aut minoribus, ſi doli non ſint participes, eorumque bonis, debet eſſe noxius. *l. 3. & 4. D. quand. ex fact. tutor.* Ut enim minorum bona non ſunt curatorum, ita nec eccleſiæ poſſeſſiones, eorum ſunt, qui ſacris inſerviendis ſunt electi. *Dynus & DD. c. delictum de Reg. jur. in 6. l. jubemus. 10. ibique DD. in fin.*

Cod.

Cod. Sacroſ. Eccleſ. c. 1. §. ult. de lege Corradi ubi DD. Clarus de feud. q. 67. in fin. Sonſbec. part. 4. n. 21. Ut Prælato aut Rectore in officio peccante, immerito ſuis juribus ac beneficiis eccleſia privetur. *l.* 43. *§.* 2. *Cod. Epiſc. & Cleric. Arg. l.* 54. *§. fin. D. Pro ſocio. l.* 20. *Comm. divid. Salicet. in l. jubemus.* 10. *n.* 2. *Cod. Sacroſ. Eccleſ. l.* 22. *Cod. de Pœnis.*

Quod etiam eouſque de jure trahitur, ut ſi eccleſiæ reditus eſſent Prælato commendati, non ultra ejuſdem vitam, bonorum fructus publicandi forent; eo defuncto ad eccleſiam reverſuri; idque propterea, ne pœna delinquentis perſonam excederet, per *alleg. ſuperius.* quibus adde *Molinæum ad conſ. Pariſ. Rubric.* 1. §. 30. *n.* 62. *Matth. weſemb. conſil.* 202. *ibidemque varii. n.* 66. 68. *Martin. Uran. tom.* 3. *conſil. de injur. conſil.* 15. *in init. & n.* 1. 2. *Viglium tit. de Hæred. inſtit.* §. *ſervus autem. in fin. comment.*

Quibus congruum eſt, illud ſpeculato-

culatoris *tit. de Donat. verb. Quid ſi*
„*aliquis Baro.* Si Abbas cum capitu-
„lo, erga Baronem fundantem mo-
„naſterium deliquerit: non pro-
„pterea deſtruitur monaſterium.
„Sed Abbas & Monachi ingrati ex-
„pelluntur, & grati atque idonei
„in eorum locum ſurrogantur.

Quæ etiam rationabilis eſt DD. opinio. *ad c. 1. §. item ſi Clericus. per textum de capite Corradi. Molin. loc. all. & Matt. weſemb. d. loc. n.* 69. *Prolixe Carpzov. ad l. Reg. German. cap.* 4. *ſect.* 4. Qui ex euangelicorum ſtatuum, & ordinum imperii ſententiâ, id fieri oportere, permultis probat au- ctoritatibus.

Verum, quod ſubjiciam præcedentibus argumentum, meo judicio fortius ſtringit & conſtringit diſſentientes. Non equidem plus juris in eccleſiæ bona ſibi vindicare poteſt victor, quam ſuper iis habuit victus, ſub jugum redactus. Certi autem juris eſt hujus diſpoſitioni bona Deo dicata ſubjecta non

L fuiſſe,

fuiſſe, ut nec arbitrio victoris partâ victoriâ, ſint relicta. Cumque eccleſiæ bona, in patrimonio de victi Principis non fuerint. *l.* 22. *in fin. init. Cod. Sacroſ. Eccleſ.* ut nec ea potuerit citra evidentem neceſſitatem prophanis uſibus applicare: nullo equidem jure id poterit Princeps victor, quem jus omne ſuum ex jure devicti Principis metiri oportet.

Quinimo, non aliter atque Caſtro divendito, res eccleſiæ, quæ una transferuntur, prophanari non debent, quod non deſierint eſſe in eccleſiæ patrimonio, aut emptoris abſoluto incipiant ſubeſſe arbitrio, ut qui nonniſi earum defenſionem protectionem per illum contractum eſt conſecutus: ita & oppido jure belli tranſlato, non incipient eccleſiæ bona eſſe fiſcalia, multo minus privatorum. *Arg. l.* 22. 23. *D. de Contrah. Empt.*

Hinc certiſſima juris eſt deſumenda & formanda regula: ea omnia, &

& ea tantum, capientium fieri, quę captorum fuerunt. Et quorum domini, hoſtium noſtrorum ſubditi non fuerunt, nec animi in nos hoſtilis, eorum etiam bona, nec hoſtili jure capi potuiſſe. Quâ ratione, ſicut quæ ibidem reperiuntur & obſidum ſunt Principis victoris, quibus poſtliminium erat, jure belli non capiuntur. *l.* 2. *D. Captiv. & Poſtlim.* Ita nec ea omnia, quæ à ſociis Principis victoris ibidem erant depoſita, commodato, aut pignori data, jure belli cedent victori. Ut ſi capta in bello, prioribus dominis ſint reſtituenda. Quæ ipſa ratio, quod Rex Iſraëlitarum in Amalekitas bellum ſuſcepturus, Cenitas, in medio Amalekitarum habitantes admonuerit, ut inde ſeceſſum facerent; ne videretur illorum bona una cum cæteris hoſtium jure belli occupaſſe. vid. *Grotium de jure bell. & Pac. libr.* 3. *c.* 6. §. 5. 26. A quo inſtituto non multum abeſt illud Gentilium maxime Romanorum, qui

urbes expugnaturi, concepto carmine Deos tutelares evocabant, quod nefas exiſtumarent, Deos, cum quibus illis nullum bellum, habere captivos. *Macrob.* 3. *Saturn.* 9. *Liv. libr.* 5. Quo facto, jam omnia profanare licuit, quaſi omni ſacro evocato, ibi ſacri nihil amplius eſſet. *Arg. l.* 9. §. 2. *in fin. ibique Gothefr. in not. Hillig. ad Donell.* 4. *comm.* 1. *litt. c.*

Neque etiam id honeſtius fieri poterit, quam ſi executor dum in cauſis civilibus debitor obæratus eſt condemnatus, cauſâ judicati cujuſdam tertii bona caperet, ſub haſtam redigeret, proſcriberet, & licitanti pluris addiceret. Aut in criminibus, propter unius delictum, alteri pœnam infligeret, contra *l.* 26. *D. de Pœn. ibique DD.*

Quo etiam nomine qui de jure belli ſcripſerunt, temperamentum aliquod in victoriâ ſervandum eſſe cenſuerunt, tum ratione rerum, tum perſonarum. Ratione rerum, ut

ut à ſepulchris, à ſacris abſtineant victores, nec ea indiſcriminatim cum cæteris violent, aut prophanent. Ratione Perſonarum, ut collegiis parcant eccleſiaſticis, ſacerdotibus, miniſtris, iiſque qui ſacra curare ſolent; maxime ſi ſemet prophanis non miſcuerint negotiis, *Grot. d. libr. c.* 11. 12.

Secundum, quod mihi probandum aſſumpſeram, ſpectabat jus naturale, quod inter gentes moratiores habuit locum, adeoque jus gentium incorruptum; quo etiam nomine ſtatuebam, in bello capta ſacra dominio victoris abſoluto non ſubeſſe, ut de iis ad lubitum diſponat, aut ea quibuſcunque uſibus applicet. Id quod facile peregero, ſi ex Hiſtoriâ temporum probavero, rationi naturali congruenter hoc ipſum inter Philiſtæos, Perſas, Græcos, Romanos, cæteraſque gentes Barbaras, denique inter Chriſtianos obtinuiſſe, & etiamnum obtinere. Agmen ducent Philiſtæi, qui

licet idololatræ, nihilominus collegio Prophetarum, quod erat Gibeæ, pepercerunt, per textum ſacrum. 1 *Samuel. cap.* 10. *v.* 5. *&* 10. Quod cum noviſſet David etiam ad Samuelem confugit, qui degebat in loco, ubi Collegium prophetarum, quod noverat ſecundum jus gentium, ab omni armorum injuriâ, licet in medio Philiſtæorum, tutum eſſe, adeoque inviolabile. 1. *Sam. cap.* 19. *v.* 18. ibique commentatores Belgæ. Idem ſuo exemplo docuit Cyrus Perſarum, qui licet à cultu veri Dei alienus foret, cum res Deo devotas, nullis humanis uſibus prophanos fieri debere, recta ratione expendiſſet, populo Judaico è captivitate dimiſſo, vaſa templi aurea atque argentea, quamvis pretii eſſent inæſtimabilis, lubens, & oculo irretorto reſtituit. vid. *Eſræ cap.* 1. *v.* 7. 8. *& ſeq. & cap.* 5. *v.* 14. Hunc ſecutus eſt Alexander Macedo, qui cum Thebas, quæ antea defecerat, vi occupaſſet, inque juſtam

Servitutem Thebanos redegiſſet, eorum quidem agros, verum ſacris exceptis, inter auxiliares ſocios diſtribuit. *Arrian.* 1. *de Exped. Alexandri.* Idem quod Græciæ populos factitaſſe, teſtis eſt Thycyd. jus ſcilicet fuiſſe inter Græcos, ſui temporis, ut qui in hoſticum impetum facerent, à locis ſacris abſtinerent. Quod etiam à Cretenſibus narrante Plutarcho in quæſt. Græcis, obſervatum fuit, qui cum inteſtinis bellis colliderentur, ſacerdotibus omnino pepercerunt. Et notante Strabone *libr.* 8. cum univerſa Græcia armis eſſet occupata, Eleos, utpote Jovi ſacros eorumque hoſpites in altâ pace vixiſſe. Et eodem referente *libr.* 4. Tecto ſages, qui cum aliis pecunias Delphicas rapuerant, placandi numinis cauſâ, domi eaſdem cum auctario & addimento conſecraſſe. Ut recte in Troadibus, Euripides ita verſus cecinerit:

Homo quiſquis urbes vaſtat, & dis manibus

Sedes ſacratas, templaque, haut recte
ſapit:
Nam ſimilis ipſum peſtis excidii ma-
net.

Secuti fuere Græcos-Romani, qui uti omnem fere ſuam ſapientiam, ita & hunc morem juſtum & æquum à Græcis hauſerunt. Illi etenim teſte Livio, Albâ captâ à Deorum templis ſibi temperarunt. Idem quod obſervarunt, occupatâ Capuâ, ita canente Silio Italico. *libr.* 13.

Ecce repens tacito percurrit pectora ſen-
ſu,
Religio & ſævas componit numine
mentes
Ne flammam, tadaſque velint, ne
templa ſub uno,
In cinerem ſediſſe rogo.

Unde adverſus Fulvium cenſorem dictum narrat, *Livius libr.* 42. *obſtringere eum religione populum Romanum ruinis templorum, tanquam non iidem ubique Dii immortales ſint, ſed ſpoliis aliorum alii colendi, exornandique.*

E con-

E contrario Plutarchus in Syllâ, multos Romanos ejus laudis facit Participes, quod ſacris omnino abſtinuiſſent, nec ſeſe iiſdem contaminaſſent: ita enim latine. *In memoriam revocabunt alii Flaminium, alii Manium Aquilium, & Æmilium, Paulum, quorum ille Antiocho ejecto è Græciâ, hi verò debellatis Macedonum regibus, non modo Græcanicis templis pepercerunt, ſed & donis ea, multoque honore auxerunt.*

Quinimo antiquis ſervatam hanc fuiſſe conſuetudinem, ut trophæa evertere, reſque diis dicatas amovere nefas putarent, ex Dione, Vitruvio, Xenophonte, Plutarcho refert *Brod. Miſc.* 5. *c.* 29. Quo etiam nomine Gothi Barbari laudantur Procopio *Gotthicor.* 2. Quod extra urbem Romam, ſacerdotibus Petri ac Pauli pepercíſſent. Et Cabao Maurus non Chriſtianus, honorem voluit haberi Chriſtianorum eccleſiis, contra quam faciebant Vandali, jure gentium violato, quibus ſperabat iratum fore, quiſquis

ille eſſet, Deum Chriſtianorum. *Procop. de Bell. Vandal.* 1. Quod cum Barbari ſervaverint ęquitatis & humanitatis ratione, quanto certe magis hoc detuit Chriſtianos, arma in Chriſtianos aſſumentes, ut etiam idem ſervatum fuiſſe inter eoſdem Hiſtoriæ recenſeant. Ita Gunſtranus, rex Pariſiorum & Gallorum, habitis comitiis cum ducibus & epiſcopis in feſto Symphoriani, ſub pœnâ capitali ſancivit, ne exercitus vel milites ſui etiam in hoſtili victoriâ, vel itinera peragendo, in eccleſias irruerent, eaſque ſpoliarent. *Gregor. Tyron. libr.* 8. *Hiſtor. Franc. c.* 30. Et memòrat Agathias *libr.* 2. Francos templis pepercisse, quod cum Græcis eſſent ejuſdem religionis. Juſtinianus itidem referente Procopio *Vandal.* 2. non auſus fuit, apud ſe retinere res illas, quas Hieroſolymorum templo Veſpaſianus dètractas, Romam detulerat. Deque Gothis ita Caſſiodorus 12. c. 20. *Rex Alarichus Apoſtoli*

ſtoli Petri vaſa ſuis deferentibus cum accepiſſet, mox, uti rei cauſam habitâ interrogatione cognovit, ſacris liminibus deportari, diripientium manibus imperavit, ut cupiditas, quæ deprædationis ambitu, admiſerat ſcelus, devotione longiſſimâ deleret exceſſum.

Et ne procul abeam, non alienum eſt Regum Anglię, Principum in Germaniâ Proteſtantium, Ordinum etiam fœderati Belgii, inſtitutum, ut qui devictis populis, expugnatis, & occupatis urbibus hoſtium, licet in multis à nobis, quoad divinum cultum diſſentientium, loca, & bona Deo dicata, uſibuſque piis deſtinata, licet ſuperſtitioſe, in uſus pios, ſimiles & analogos (niſi neceſſitas eos uſibus publicis applicandos, ſuaderet) tranſtulerunt. vid. Celeb. *Horenbeeck ad Bullam Innoc.* 10. *p.* 76. 77. *& ſeqq. p.* 90. 91. 94. 95. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. *p.* 117. 118. 119. 120.

Et certe ſi ullibi iſti mores, equidem maxime inter Chriſtianos ſer-

vari *debebunt, ut qui eundem Deum, & quidem ex eâdem lege colunt, etſi forte ſententiis quibuſdam, & ritibus inter ſeſe diſſideant. Ut nefas ſit violari ea ſacra ab iis, qui in eâ perſuaſione conveniunt, & læſi gentium juris incuſentur merito. Grot. accurate libr. 3. de jur. belli cap. 5. n. 2. cap. 11. ſ. 10. cap. 12. §. 6.*

Unde & antiquis & hodiernis ſcriptoribus obſervatum fuit, eos, qui ſacris hoſtium licet pſeudo-ſacris non peperciſſent, iram divinam tandem expertos fuiſſe. Quo ita, eventu cauſam comprobante, Deus teſtatum faceret, quam non eorum factum deteſtaretur, qui quaſi nullâ religionis curâ tangerentur, potius ſibi, Deo ſuperſtitioſe forte devota, quam ſacris licitis, applicare fuerint auſi. Ejus meminit *Dior. Sicul. libr. 11. Bibliotb.* Xerxem à Thermopilis diſcedentem parte copiarum in delphos dimiſſâ, mandaſſe, uti incenſo Appollinis adito, repoſita queque ibidem ſpoliarent. Eos

autem,

autem, qui ad ſpoliandum vatem miſſi fuerant, ad Palladis uſque providæ provectos, templum repentinâ quâdam, & incredibili nimborum vi, procellaque ventorum irruente creberrimis, cum tonitru veluti ex Æthere illato fulminibus erumpentibus, obrutos fuiſſe.

Et celebrata ſatis oppidi Tholoſani, à Q. Cæpio conſule direpti hiſtoriâ; quum enim multum auri in ejus oppidi templis fuiſſet, quiſquis ex eâ direptione aurum attigerat, miſerabili exitum periit. Id quod Proverbio notiſſimo, de auro Tholoſano, fecit locum. *Gell. 2. noct. Attic. c. 9.* Ne huc adducam exemplum è Sacro codice deſumptum, Beltzaſeri, qui cum vaſa templi Dei vivi licet capta in bello, prophanaſſet, denunciante manu iram Dei expertus, ipſâ nocte inſequenti ab hoſtibus, interemptus fuit. Ne plura huc adducam exempla de quibus. *Tholoſ. Synt. jur. univ. libr. 2. c. 28. & l. 33. c. 16. & Honſdorf.*

Theatr. exemplor. Itidem *Celeb. Horenb. ad Bull. Innoc.* 10. *p.* 107. 108. 109.

Verum nonnulli forte objicient *l.* 36. *D. Relig. & ſumpt. funerum.* Ubi in bello capta ſacra fieri prophana, adeoque jure belli poſſe prophanari dicitur. Sed Reſp. illa quidem ita de jure civili obtinuiſſe, ut multa alia, permittenda potius quam probanda, non autem fundari in illo jure gentium, quod ratio, & æquitas humana ſuaſit. Ut ſi talia fiant, ultra jus victoriæ hoſtes, in templa, aras, & ſepulchra ſæviiſſe ſit dicendum. Id quod de Philippo poſt Livium, refert *Flor. libr.* 14. Neque illi hic nobis adverſantur, qui ſtatuunt jure gentium, ſacra fieri prophana, & moribus Græciæ obtinuiſſe, ut res Sacræ arbitrii eorum fierent, qui urbes cæpiſſent. *Grot. de jur. bell. libr.* 3. *c.* 5. *n.* 2. Id enim intelligendum cum moderamine & temperamento antea adhibito. Præterquam quod jure gentium dicantur fieri, id eſt cenſean-

cenſeantur permiſſa gentium jure, non introducta, aut approbata. Scilicet propter iniquitatem invaleſcentem connivere cæpit jus gentium ad nonnulla vitia & delicta quæ moribus quarundam gentium recepta; eaque amplexa eſt jus civile. Non aliter atque moribus Græcorum teſte Thycidide, latrocinia fuere recepta, non tamen illo jure gentium probata, quod recta ratio introduxit. Quin imo Germanis in more poſitum erat, teſte Cæſare de bell. Gallico, longe lateque fines aliorum depopulari, & Schytarum inſtar, incertis vagari ſedibus, proprias deſerere, armis ſibi novas & meliores colonias quærere.

Nec tamen hinc quiſpiam ex illo gentium more jus fecerit laudabile, aut aliquem extra culpam in conſpectu Dei collocaverit. Ut hic merito applicandus Tertyll. locus in *Apologet. porro, bella & victoriæ, captis, & everſis plurimum urbibus conſtant: id negotium ſine Deorum imjuria non eſt.* Eadem

dem ſtrages mænium & templorum. Pares cædes civium, & ſacerdotum: nec diſſimiles rapinæ ſacrarum divitiarum, & prophanarum. Tot igitur ſacrilegia Romanorum, quot Trophæa. Tot de diis, quot de gentibus triumphi. Tot manubiæ, quod manent adhuc ſimulacra captivorum Deorum. Ne jam dicam, non majori jure, in bello Sacra loca fieri profana, quam ſervi ab hoſtibus capti, occiduntur, aut capientium fiunt. Ut ſi Chriſtiana charitas, & æquitas non admittat illam duram ſervitutem, quę apud Romanos obtinuit, & apud multas gentes jure gentium, id eſt gentium permiſſione, dicitur introducta; nec etiam admittat humanitas, ut piis uſibus deſtinata ad lubitum victoris prophanentur. Unde ſi hic quicquam permiſerit, jus gentium, non tamen id probaverit, aut probare potuerit, ut nonniſi abuſive hoc ipſum jure gentium, & jure belli fieri dicatur. Cum nec ratio recta id ſuaſerit, ſed potius contrarium, nec gentium mores in univerſum,

niverſum, ſed potius humana malitia, & iniquitas tale quid apud Barbaros conſtituerit. vid. 2 *Reg. cap.* 6. *v.* 22. *ibique comm. belg.*

Accedit, quod cum ea omnia, quæ circa perſonas & res in bello captas, conſtituerat jus civile, tantum obtinere voluerit in bello Barbarico, non civili, *l.* 20. *§.* 1. *l.* 21. *§.* 1. *D. Capt. & Poſtl. reverſ.*

Noſtra autem bella, quæ à Chriſtianis adverſus Chriſtianos geruntur, omnibus autoribus fatentibus, civilibus annumerantur, unaque populi Chriſtiani civitas intelligitur, unus Deus ex eadem lege colitur, licet forte ſententiis quibuſdam & ritibus diverſis; ut hoſtium Sacra jure Chriſtianorum, aut lege charitatis, humanitatis, æquitatis, prophanari nec potuerint, nec debuerint. Ut quę circa liberos homines in bello captos, circa bona orphanotrophiorum, xenodochiorum ex laudabili Chriſtianorum obtinent conſuetudine Trajecti ad Moſam, Sylvæ,

Sylvæ-ducis, Bredæ, &alibi, eadem etiam multo magis circa Deo dicata obſervari debeant. *Tacit.* 2. *Hiſtor. Cujac.* 26. *obſ.* 2. *Alciat. in l. hoſtes.* 118. *verb. ſignif. Duaren. ad tit. D. qui teſtam. facere poſſ. Dauth. de Teſtam. n.* 201. *Grot.* 3. *de jure bell. & pac. cap.* 12. §. 6. *& c.* 5. *n.* 2.

Ut hic audiendi non ſint qui allegato loco Pauli ad Roman. *cap.* 6. *v.* 16. cenſent ſe jus mancipiorum apud Romanos receptum, ſatis comprobaſſe. Cum tamen illius juris comprobati, nec vola nec veſtigium ullum appareat. Loquitur enim Apoſtolus de peccato, à quo qui victus eſt, peccati ſervus eſt, à more Romanorum, deſumptâ ſimilitudine, qui victos ſibi ſubjicere, inque ſervitutem redigere ſolebant. Quo tamen loquendi modo, non magis confirmatur, illa ſervitus, quam, quia forte Salvator noſter uſus eſt ſimilitudine à fure deſumptâ, dum ſe tanquam furem nocturnum venturum pronunciat, furti vitium com-

comprobatur. Quid quod nemo Chriſtianorum illam duram ſervitutem Romanorum approbaverit; quo ſervus in bello ſervetur, ut poſtmodum duriter habeatur, ut captus poſtmodum adinſtar quadrupedis trucidetur, etiam ad domini lubitum, murenis objiciatur.

Non etiam obſt. *l.* 4. *D. ſepulchr. viol.* Præterquam enim quod nobis orthodoxiam profeſſis nulla loca ſint religioſa, adhuc tamen de jure Romano differentia ſervata inter Sacra & religioſa. Illa Deo dicata abſolute nullius erant in bonis. *l.* 1. *l.* 6. *D. Sacra. D. Rer. diviſ.* Religioſa adhuc quaſi proprietate erant privatorum. §. *religioſum. Inſtit. Rer. diviſ. l.* 2. §. 2. *D. de Interdict.* Præterquam quod alii reſpondeant, *ad l.* 4. Id honeſtum ſatis non eſſe, & fieri non debere, ut ſepulchra hoſtium violentur; ut idem multo magis de ſacratis rebus ſit ſtatuendum. *Alciat.* 10. *Parerg.* 4. *Deſider. Herald. comm. ad c.* 37. *Apolog. Tertull. wiſſenb. diſp. P.* 31. *Part.* 2. *n.* 14. 10. At-

10. Atque hæc dicta ſuffecerint in theſi de bonis, & modo relinquendi cauſæ piæ, aut Eccleſiæ. Verbo inquirendum dum in Privilegia cauſę piæ; quæ fuere varia & multiplicia. Alia quippe privilegia erant perſonarum, puta Epiſcoporum & Clericorum, de quibus *Placent. tit. Cod. Epiſc. & Cleric.* alia, bonorum eccleſiæ. Quę iterum vel erant in acquirendo, vel retinendo, vel amittendo, vel transferendo. De quibus accurate, & per ſingula capita, ſecundum *ll. Cod. agit Placentin. Cod de Sacroſ. Eccl'eſ. Azo in ſumm. Cod. eod. vid. Gudelin. de jure noviſſ. libr. 6. c. 12. & ſeqq.*

Id tantum relictis aliis hic inquirendum erit: Num quæ Eccleſiis aut piæ cauſæ ſunt relicta, ab exactionibus, vel tributis ſint immunia? Reſp. Etſi non omnino ſint exempta ſecularium juriſdictioni, quin tributa imponere valeant, & petita debeantur, Exemplo Salvatoris noſtri, qui tributa pendit. *c. Tributum.*

23.

23. *q.* 5. licet diſſ. *can.* 3. *de immun. Ecclеſ. in* 6. Ea tamen Principum, in Eccleſiam fuit liberalitas, ut ejus poſſeſſiones in multis voluerint eſſe immunes à tributis. *l.* 5. 6. 7. *Cod. Sacroſ. Eccleſ. Tholoſ. Synt. jur. lib.* 2. *c.* 28. *n.* 35. *vid. & Cravett. conſ.* 405. *n.* 2. *Heig. part* 1. *q.* 17. *Bocer. de collect. c.* 11. *n.* 16. *& ſeqq. Barboſ. collect. in l.* 5. *Cod. Sacroſ. Eccleſ. n.* 2. 4. 5. 6. 7. *& Authent. Item nulla communitas. Cod. Epiſc. & Cler. & ad l.* 6. *Cod. Eod.* Id quod non videbatur à ratione abſonum aut à moribus gentium alienum. *Argum. Gen. c.* 47. *v.* 22. Ubi terra ſacerdotum dicitur fuiſſe exempta. *d. c. tributum. ibique notata. & Eſr. cap.* 7. *v.* 24. Unde etiam Eccleſiaſticis varia conceſſa fuere privilegia, puta, ne poſſint in jus vocari dum ſacris dant operam. *l.* 2. *D. in jus vocando.* nec cogi arbitrium proferre, ſi poſtmodum facti eccleſiaſtici. *l.* 32. *§. ſacerdotio. D. Recept. Arbitr.* Utque à muneribus perſonalibus eſſent exempti, non item à realibus,

libus, qualia erant tributa ordinaria. *l.* 2. 3. *Cod. Epiſc. & Cleric.* Idque propterea, quod res in Eccleſias collatę, una cum tributorum onere tranſirent. A metatis tamen & epidemeticis, etſi inter realia munera referantur, liberati fuere Clerici. *l.* 2. *l. generaliter. Cod. Epiſc. & Cleric. l. nec honore. Cod. Eod. l. ult. Cod. Excuſ. mun. l.* 3. *§.* 14. *D. de Mun. & honor.* A b extraordinariis itidem oneribus, ut & ſordidis eximebantur ipſi, ut & eorum bona. *l.* 1. 2. *l.* 6. *Cod. Epiſc. & Cler. l.* 52. *Eod. Nov.* 123. *c.* 5. *nov.* 131. *c.* 5. Ad refectionem tamen pontium itinerumque tenebantur. *l.* 7. 11. *Cod. Sacroſ. Eccleſ.* Ut etiam cauſâ neceſſitatis. Sicut enim dies dominicus non profanatur, ſi hoſtis à muris arceatur, ita nec ecclesiaſtici, ſi inſtantibus hoſtibus excubias agant. *l.* 9. *D. de Feriis. c.* 2. *de Imm. Eccleſ. l.* 10. 11. *Cod. Sacroſ. Eccl. l.* 33. *§. Privileg. Cod. Epiſc. & Cleric. l.* 21. *Cod. Curſ. publ. Angar. libr.* 12. *l. qui immunitatem.*

Cod. Muner. Patrim. Alexand. Conſ. 68. *n.* 13. *Duaren.* 7. *de beneſ. Eccleſ.* 10. *Teſſaur. deciſ. Pedemont.* 116. & 234. *n.* 10. *Gail.* 2. *obſerv.* 32. 52. *n.* 26. *Chaſſ. ad conſuet. Burgund. rubric.* 1. §. 4. *n.* 18. & *ſeqq. Petrus Duenas Fallent. Reg. jur. litt. c. verb Clerici. Placent. Cod. Sacroſ. Eccleſ. Azo tit. Epiſc.* & *Cleric. n.* 8. & *in ſumm. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. n.* 1. 2. 3. & *ſeqq. Hippolit. tract. de fidejuſſ. n.* 111. & *ſingul.* 174. *Tiraq. Tract. de Privil. Pia cauſa. Oldendorp. de jur. ſingul. tit. de Privil. Piarum cauſ. Choppin. Sacra Polit. libr.* 3. *tit.* 2. *Mindan. de Mandat. lib.* 2. *c.* 45. *n.* 12. *Gregor. Thol. jur. can. libr.* 1. *tit.* 4. *c.* 13. *Perez. Cod. de Sacroſ. Eccleſ. n.* 3.

De moribus Hollandiæ, qui agri ſunt Eccleſię, vel pauperum, annuo tributo non onerantur; id eſt verpondigen ſi eos poſſederint ante annum 1604. *Groenweg. ad Auth. caſſa. Cod. Sacroſ. Eccleſ.*

Quia vero cernitur etiam piæ cauſę privilegium, in bonorum eccleſiæ tuitione; in ſeveritate pœnarum,

rum, quæ violatoribus rerum eccleſiæ infliguntur, in furti aggravatione, quod circa rem Deo dicatam, ejuſque cultui deſtinatam, committitur, ideo, de magnitudine peccati prophanationis rerum ſacris uſibus applicatarum, ejuſque pœnâ dicendum erit. Quam vero grande ſit hoc peccatum, adeoque deteſtabile, ex jure naturæ, & gentium moribus, fuit demonſtratum. Quibus ſi jus divinum acceſſerit, extra omnem dubitandi aleam erit poſitum; *ſacrilegium*, crimen inter cætera minimum non eſſe. Utque evidentior ſit intellectus hujus poſitionis, Sacrilegii exhibebo definitionem, non ut in ſtrictiſſimâ accipitur ſignificatione, & modo quo forenſi anguſto, verum ut in ſenſu ſpectatur latiore, ſecundum jus naturæ, gentium, civile, divinum. Sicque ſacrilegium committi dicitur, quando ea res, quæ Deo, ejuſque miniſterio, aut cultui, aut honori, peculiari jure, deſtinatur & ſanctificatur, id

id eſt ad uſum ſanctum & pium ſeparatur & ſeponitur, ab illo uſu & fine removetur, & vel alteri applicatur uſui, citra divinam diſpenſationem, vel ſuo uſui cui deſtinabatur, non applicabatur.

Sic enim committitur furtum, & quidem rei, quæ erat divino dicata honori, cultui, miniſterio. Dum eam quis ſciens prudens, per fraudem ſubducit & ſubtrahit & eximit, uſui deſtinato. Quod quid aliud eſt, in rei veritate, quam Sacrilegium? Itaque peccatum deſcribitur Ananiæ & Sapphiræ *Actor.* 5. *v.* 2. 4. Quod de pretio debito eccleſiæ, quid per fraudem & mendacium ſubduxiſſent, quod eorum non amplius erat, adeoque conſiderabatur eſſe contrectatio rei alienæ, & quidem fraudulenta. Quæ ab objecto aggravatur, quod eſſet rei eccleſiæ. Et *Rom.* 2. *v.* 21. 22. quod illa, quæ Deo ejuſque cultui erant ſanctificata, per fraudem ſubducerentur, ſacrilegium dicitur eſſe

commiſſum. Nec aliud in veteri teſtamento fuit ſacrilegii peccatum, quam quod, quæ Deo ſanctificata, ejuſque miniſterio, ac miniſtris debita, ſubtraherentur. Non tantum, ſi res forent, quę immediatè cultui divino inſervirent, quales calices, pelves, cæteraque ſacrorum inſtrumenta; verum etiam, ſi decimæ, reditusque Sacerdotibus eccleſiæ debiti, ſi ſacrificia, quæ Deo offerri debebant, quorum etiam pars magna in fumum & cineres abibat, ſubducerentur atque detraherentur. *Num quid rapiet homo quæ ſunt Dei*, inquit Propheta. *Quia vos rapitis mea. Et dixiſtis, in quo abſtulimus tua? In decimâ, & oblatione. Malech.* 3. *v.* 8. 9. *ibique comm. Belgæ.* Ut certius nihil ſit, quam tum etiam peccatum committi ſacrilegii, non in gradu minimo, cum quæ ad ſacerdotum alimoniam relicta, etiam ſponte oblata ab hominibus piis ut inde ſuſtententur, adeoque ut miniſterium ſit perenne, ſubducuntur, auferuntur

iiſdem,

iiſdem, aut non conferuntur. Ut enim de jure qui alimenta denegat, negare videtur. *l.* 4. *D. Alend. Parent.* Ita qui debita ſacerdotibus adimit, cultum ſiſtere videtur, quia cibum, alimenta demit. *Maleach.* 3. *v.* 10.

Ad majorem autem intellectum naturæ Sacrilegii etiam in anteceſſum explicabo vocis חֵרֶם, *cherem* apud Hebræos ſignificationem, quæ ex ſuâ origine deſignat ſeparationem, exciſionem, remotionem, à loco, ordine, numero, aut corpore, cui aliquid erat conjunctum. Unde paſſim applicatur perſonis delinquentibus, qui excommunicabantur, excludebantur, ſeparabantur, ejiciebantur è cœtu fidelium, è Synagogâ, licet vivi ſupereſſent. *Geneſ.* 17. *v.* 14. *Lev.* 17. *v.* 4. *&* 18. *v.* 29. 30. 31. *Deuteron.* 28. *Eſra. c.* 10. *v.* 8. *Nehem. c.* 13. *v.* 25.

Quia vero quæ divino cultui applicantur in honorem Dei, peculiari jure, ordinantur, vel etiam interi-

tui deſtinantur, ab uſu ſuo vulgari ſeparantur, ſegregantur, removentur, ideo etiam illa omnia voce חֵרֶם, *cherem* comprehenduntur.

Nec intereſt an ſint bona, quæ Deus per Iſraëlitas voluit applicari ſui templi cultui, ſive ſint bona, quæ voluit deleri, extingui, igne comburi &c. *Joſ.* 7. *v.* 12. ubi ſub *cherem* comprehenditur, & quod erat interitui deſtinatum, & quod uſui templi applicandum.

Uti nihil intereſt, an ſint ab Iſraëlitis cultui divino, ſacerdotibus aſſignata, qualia prata, animalia, decimæ; an vero res ſint devotæ, ut in honorem Dei, deſtruerentur, & ſi animalia, occiderentur. *Levit. c.* 27. *v.* 21. *ibique Belgæ comment. & v.* 28. 29. *& ſeqq.*

Omnia itaque illa appellantur *cherem*, quia omnium par eſt ratio, in quantum Deo pari jure debentur, ſunt eidem ſanctificata.

Sive uſui ejus templi, & alimoniȩ ſacerdotum ſint applicanda, ſive interitui

teritui deſtinata. *d. v.* 28. *& Levit.* 2. *v.* 3. Ut in utraque facti ſpecie par ſit ratio; *d. c.* 27. *v.* 21.

Nec minus ille peccet, qui rem divino cultui applicandam, in ſuum rapit uſum, quod eſt peccatum commiſſionis, quam qui rem exitio deſtinatam, ſervat, quod eſt omiſſionis. Ut utrobique divinum præceptum violetur, utrobique res Deo ſanctificata profanetur.

Hinc utrumque factum *cherem*, appellatur, ut eandem etiam pœnam mereatur. *Joſ.* 7. *v.* 11. 12. Ubi cum ſacer textus præmiſiſſet factum in genere, ſubjungit varia illius facti vitia: *tulerunt de anathemate, & etiam illud furati ſunt, & etiam mentiti ſunt, & etiam poſuerunt inter vaſa ſua.* Ut commentũ ſit, talionis legalem pœnam ſuper *cherem* ſtatutam fuiſſe.

Quandoque tamen vox *cherem*, quæ generis eſt, applicatur certæ ſpeciei, idque propter rerum abundantiam, vocabulorum in linguâ Hebraicâ penuriam, ut quando *cherem*,

rem, in ſtrictiori ſignificatione appellatur res internecioni deſtinata. Qualis ſignificatio occurrit. *Joſ.* 6. *v.* 17. 18. 19. Neque hinc quiſpiam inferre poterit, per ſpeciei vocabulum factum tale aggravari; id enim nullâ probabili ratione inde colligitur.

Quibus præmiſſis, inferendum erit, grande peccatum eſſe, ſacrilegii peccatum, non tamen illâ pœnâ vindicandum præciſè, quâ affectus Achan. Quia extraordinarium ibi fuit divinum judicium, extraordinarium ſceleris indicium, & ſingularis non legalis, pœna ſtatuta, quo in poſterum Iſraëlitæ forent cautiores. Niſi quiſpiam velit legalem certam pœnam fuiſſe, qua affecti Core, Dathan &c. adeoque ſecundum analogiam eadem puniendos, ſacrorum Miniſtros, qui populo Dei ignes fatuos præferunt invidioſè.

Ut tamen ſecundum rectam rationem colligamus, grandi pœnâ rei Deo deſtinatæ ablationem, & applicationem

plicationem ejuſdem in uſum peregrinum, tanquam furtum qualificatum, eſſe puniendum. Quapropter in ſacrâ paginâ (quod probabile) eadem maledictione feriuntur, qui decimas, ac portiones ſacerdotibus debitas ſubduxerant per fraudem, *Malach.* 3. *v.* 9. qua onerantur illi, qui delicta, etiam ſcelera contra naturam committunt. *Deut.* 28. Unde filii Eli, quod quæ vel erant Deo in ſacrificium deſtinata, adeoque in fumum & cineres abibant, vel quæ ſacerdotibus erant tribuenda, à populo oblata, in ſuum uſum transferrent, aut non eo quo debebant modo, divinis uſibus applicarent, magnum peccatum commiſiſſe dicuntur. 1 *Samuel.* 2. *v.* 13. *& ſeqq.* *&* 29. Ad quod cum nimium conniveret Eli, ipſe ejuſque liberi, ſecundum divinam prædictionem miſerè perierunt. *d. c. & c.* 3. 1 *Samuel.* Et argumentum deſumi poterit ab Exemplo Achani, qui graviſſimâ pœnâ ſecundum præceptum

divinum fuit affectus, ejuſque liberi, etiam ſceleris ignari. Ut ita teſtatum faceret Deus, quam non deteſtaretur peccatum Sacrilegii.

Verum quiſpiam forte mihi oggeſſerit, Præcipuum Achani peccatum non fuiſſe ſacrilegium, ſed rebellionem. Reſp. Quicunque extra nubem voluerit contemplari ſacræ ſcripturæ textus, eoſque accuratius ad veritatis trutinam examinare, is equidem inficias ire non poterit, quin præcipuum & quidem ſpeciale peccatum Achani fuerit ſacrilegium. Quod autem & ibi fuerit rebellio & inobedientia, id plus quam notum eſt, & norunt omnes, qui ſciunt in omni peccato eſſe inobedientiam, in quantum quis non paret divinis præceptis, juſſubus divinis; adeoque rebellis eſt in Deum, eoque nomine ſano ſenſu committere dicitur crimen læſæ majeſtatis divinæ.

Quo ſenſu peccatum Sauli appellatur *rebellio, & mendacium.* 1 *Samuel,*

muel. 15. *v.* 23. eo quod non auſcultaſſet Domino Deo, nec ejus juſſa executioni mandaſſet. *v.* 19. 20. *d. cap.*

Sacrilegium fuiſſe peccatum Achani vel hoc infallibili argumento probatur, quod propter *cherem*, fuerit punitus. Quod in locis allegatis ſignificat eorum, quæ Deus voluit ſuo cultui deſtinata, vel in ſui honorem everſa, adeoque ſibi oblata, prophanationem. Hæc facti ſpecies erat, hæc erat ratio formalis illius peccati, cui & inerat rebellio, mendacium, adjuncta etiam aliorum peccatorum. Cur enim ſub Anathemate erat Iſrael? An quia in ſpecie rebellis fuerat Achan, an quia inobediens juſſui divino? An potius, quod erat peccatum ibi potiſſimum expendendum, quia *de anathemate tulerat, veſtem & aurum, id furatus fuerat, etiam peccatum non fuerat profeſſus?* Joſ. 7. v. 11.

Si quis etiamnum hæreat, vel audiamus confeſſionem ex ore rei cri-

 minalis,

minalis, cujus etiam nomine fuit condemnatus, & pœnæ ſubjectus. *Dixit enim Joſua ad Achanem; fili mi, da Deo gloriam, & da ei confeſſionem, & indica quæſo mihi quid feceris, ne abſcondas à me. Et reſpondit Achan ad Joſua, & ait, vere ego peccavi, domino Deo Iſraël, tale taleque feci. Vidi in ſpolio, pallium Babylonicum unum bonum, & ducentas ſeclos argenti, & virgam auri unum, & quinquaginta ſeclorum pondus ejus, & concupivi, & cæpi ea. Joſ. 7. v. 19. & ſeqq.*

Niſi equidem illa confeſſio vera fuiſſet, non in eâ acquieviſſet Jehoſua: neque enim tum gloriam Deo dediſſet Achan, verum de novo in conſpectu Dei, & univerſi populi mentitus fuiſſet. Aſt noverat Jehoſua, eam veram eſſe, & conformem divinæ denuntiationi. v. 11. d. c. Ubi furti crimen potiſſimum exprimitur circa res devotas, adjecto mendacii vitio, quod ſuum occultaſſet mendacium.

Non aliter atque Petrus Apoſtolus,

lus, cum Sacrilegii crimini ſe implicaſſent Ananias & Sapphira, eis primo & primario furti vitium exprobat, quod ſcil. vendidiſſent agrum in uſum eccleſiæ, & de pretio agri fraudaſſent, id eſt quod totum eccleſiæ applicare debuiſſent, ejus partem in uſus proprios vel alios convertere voluerint, cum quod antea erat in ipſorum dominio, jam non amplius eſſet. Et licet ibidem concurrerit avaritiæ & mendacii vitium: non tamen hinc quiſpiam intulerit, Petrum potiſſimum avaritiam punitam voluiſſe, hocque exemplo cæteros abſterrere. *Actor.* 5. *v.* 1. 2. 3.

Quibus autem pœnis pro ratione circumſtantiarum de jure civili fuerint affecti ſacrilegi, & quam grave ſcelus habitum ſit ſacrilegium, ut etiam ultimo ſupplicio, igne, aliiſve modis, in reos fuerit animadverſum, prolixe in *tit. D. & Cod. de Crimin. Sacril. deſcribitur.* Quod cum maximam partem ſpectet ex-

externum ſtatum Politicum, ad criminalium rerum ſcriptores, Farinac. Carpzov. Boekelii viſiones, Ant. Matthæum, alioſque lectorem curioſum remittam.

CAPUT TERTIUM.

SECTIO PRIMA.

1. *Epiſcopi, ſeu paſtores eliguntur ab Eccleſiâ.*
2. *Sine prece, aut pretio, aut artibus malis.*
3. *Eliguntur, qui juſtam habent ætatem.*
4. *Liberi, non ſervi.*
5. *Originarii, cæteris paribus, aliter aptiſſimi, & honeſtiore loco nati.*
6. *Morati, Eruditi litterarum &c. irreprehenſibiles.*

1. VErum ad Eccleſiaſticos memet conferam, ibique breviter conſiderabo eorum conſtitutionem, qualitates ordinandorum, officia, remotionem, denique forum eorum competens. Varia quidem olim

olim fuere ipſorum officia. Et alii dicti *Paſtores*, qui erant Epiſcopi, olim appellati *Papa*. Ut enim pro patre majore antiquitus, illa vox fuit uſurpata: ita commune fuit nomen Epiſcopis, quaſi ſpirituales ſint omnium patres. *Nov.* 81. *c.* 3. *Cyprian.* 2. *Epiſtol.* 7. *Gothefred. ad l.* 7. *Cod. Summ. Trinit. Greg. Tholoſ. in ſcholis ad procem. decret. n.* 10. *Et Synt. jur. libr.* 13. *c.* 2. *vid. & Hoornbeeck. ad Bullam. Innocentii X. p.* 2. *n.* 4. *Preſbyteri*; (non olim, ſed poſtmodum à prioribus diſtincti,) *Diaconi*, *Diaconiſſa*, aliique ſacrorum miniſtri, puta *Cantores*, *Lectores* &c. De quibus omnibus *Rittersh. p.* 1. *Nov. c.* 7. *Danaus lib.* 2. *de Eccleſ. c.* 8. 9. *& ſeqq. inter Pontif. Gudel. de jure noviſſ.* 6. *c.* 2. *& ſeqq.* Potiſſimum, cęteris Theologis relictis, loquar de Epiſcopis qui nobis ſunt Eccleſiæ miniſtri, ſeu paſtores. Ubi in anteceſſum erit explicandum.

Quid ſit *eccleſia*, & quotuplex *electio*? Relictâ multiplici eccleſię ac-

ceptione, de quâ, ejuſque privilegiis. *Azo in ſumm. Cod. Sacroſ. Eccleſ. n.* 1. 2. 3. 4. 5. *Placent. Cod. eod. Jaſon. in Repet. l.* 1. *Cod ſacroſ. eccleſ. Gloſſ. in c. cum clerici. de verb. ſignif. Bald. in l. omnes in princ. Cod. Epiſc. & Cler.* Eam accipio, prout eſt fidelium ubique terrarum exiſtentium cœtus, communio, unius fidei vinculo indiſſolubili juncta; fidei & religionis mater perpetua. *Matth. c.* 16. *v.* 18. 19. 1 *Timoth. c.* 4. *v.* 14. *Epheſ. c.* 4. *v.* 5. *l.* 14. *in fin. init. l. determinus.* 16. §. *ſacroſanctum. Cod. Sacroſ. Eccleſ.* Quæ dicitur eſſe vel univerſalis, vel particularis. Illa quæ per univerſum orbem ſparſa; ideo dicta catholica. *c. catholica. c. palam. diſt.* 11. de quo nomine *Auguſtin.* 3. *contra gaudentium. c.* 1. *Cyprian. libr. de Unitate eccleſiæ.* Unde etiam ea catholica fides dicta, quæ ubique apud omnes, & ſemper obtinuit. Vincent. Lyrenenſis adverſus *Profan. Novat.* Particularis eccleſia, quæ membrum illius univerſalis, certo in lo-

co,

co, regimine gaudens. *Apocalypſ. c. 2. 3. Gal. c. 1. v. 2.*

Supereſt ut de electione hic aliquid inſeratur, quæ jure canonum erat triplex; vel per viam ſcrutinii, vel compromiſſi, vel inſpirationis; illa eſt, quando ſecreto, & ſeorſim cujuſq; eligentis inquiritur votum, & in ſcriptum transfertur. *c. quia propter. 42. de elect.* Iſta eſt quando procedit electio per viros aliquos, tanquam arbitros, in quos electores, compromiſerunt; quibuſque cura eligendi hominem idoneum ad beneficium vacans eſt commiſſa. *c. quia propter. §. vel ſaltem c. in cauſis. 30. c. cauſa quæ. 8. c. cum dilectus. 32. de Elect.* Hæc eſt, quando per viam inſpirationis, ſcil. Sancti Spiritus, omnes de collegio, veluti unâ voce, & ſententiâ convenienti, conſentiunt in unum. *d. c. quia propter. 42. de Elect.* Licet nonnulli eam appellent, quaſi per viam inſpirationis, quod unanimiter, citra cujuſquam eligentium diſſenſum, quis eligatur.

tur. Tumque per piam inſpirationis dicunt contingere electionem, quæ immediate fit ab ipſo Deo, qui eligendum ſuo deſignat populo. Ita Moſes à Deo ordinatus, Saul in regem electus &c. Et hæc quidem de jure canonum.

Erat & alius olim eligendi modus, κατὰ χειροτονίαν; de quo Suidas in illo verbo. Quo etiam videtur reſpexiſſe Imperator Juſtinianus in *l.* 12. *Cod Epiſc. & Cleric.* eodem Græco uſus vocabulo. Erat alius per ſortem invocato prius Dei omnipotentis auxilio, ut qui ratione quâ peculiari, ſortis directionem ſibi reſervatam voluit; nos ita admonens nonniſi in ſeriis, & diviſionis judiciis eam eſſe adhibendam. *Actor. c.* 1. *v.* 24. 25. 26.

Obtinet etiam de moribus hic eligendi modus, ut eligentes ſua vota Chartę inſcribant, vel ejus nomen, quem velint electum; eamque Chartam in capſulam, aut pileum conjiciant. Quemadmodum

&

& olim in Latio per Tabellas ſuffragia dabantur, judiceſque ſuam ferebant ſententiam. *Gell.* 14. *c.* 2. *& juriſc. in l. Pomponius.* 36. *D. de Re judic.*

Etſi vero magiſtratus ſit curare ut fiat electio miniſtrorum; utque ea fiat legitime, licet id non ſit neceſſum, illam curam ſemper electionem antecedere, etiam requiratur majoris approbatio magiſtratus, ne invitus ſubditum ferre debeat, aut in civem admittere ſui territorii, quem forte jure poſſet repellere, ſaltem non admittere: quod difficilius ejiciatur, quam non ſuſcipiatur hoſpes (quæ in minori magiſtratu Imperio & juriſdictione carente, non ſunt admittenda) non tamen hinc ſequetur electionem eccleſiaſticam eſſe magiſtratus. *Argum. init. inſtit. de Satiſd. tutor. junct.* §. *fin. inſtit. eod.* Ubi prætor curare ſolet, ut ſatiſdetur, nec tamen ipſe exigit ſatiſdationem, ſed alius. Inſpectis itaque eccleſiæ primitivæ temporibus

bus quæ fuit ſub Apoſtolis, à Preſbyterio, ab Eccleſiâ per textus allegatos, & poſt allegandos, poſtmodum ab incolis civitatis, id eſt fidelibus, & Chriſtianis facta fuit electio. *l. ſi quemquam* 31. *l.* 42. *in init. Cod. Epiſc. & Cleric.* vid. tamen *Nov.* 123. *c.* 1. *Nov.* 137. *c.* 2. Ubi loco plebis adhibentur primates.

Et quidem ideo Eccleſia eligit, quia ei conceſſa poteſtas clavium; non Principi aut ſupremo Magiſtratui. *Matth. c.* 11. *v.* 17. *Actor. c.* 1. *v.* 6. *ibique Eraſm. in Paraph.* 13. *& c.* 6. *& c.* 14. *v.* 15. 2 *Corinth. c.* 5. *v.* 20. *& c.* 6. *v.* 5. *& c.* 8. *v.* 19. 1 *Cor. c.* 3. *v.* 5. *& c.* 4. *v.* 1. *Coloſſ c.* 1. *v.* 24. 25. *Tit. c.* 1. *v.* 7. *Leo Epiſt.* 82. *ad Epiſcopum Viennenſem ubi ita. Qui omnibus præficitur, ab omnibus eligi oportet. Cyprian. lib.* 1. *Epiſt.* 4. *Ordin. Synod. Dordrac. art.* 4. *Theodorus Groen, Eccleſiaſtes quondam Trajecti ad Moſam, antiquitatum Eccleſiaſticarum verſatiſſimus in epiſtolâ ad Jeſuitam Bruxellenſem*

Gode-

Godefridum wandelman c. 2. p. 60. Neque enim eſt Principis, ſed Chriſti & Eccleſiæ miniſter, quæ hanc poteſtatem immediate habet à Chriſto; ejuſque nomine miniſtri viæ ductores appellantur. *Hebr.* 13. *v.* 7. ut gregem dominicum paſcant. *Actor.* 20. *v.* 28. Æconomi & diſpenſatores Domus Dei. *Tit.* 2. *Pragm. Sanct. Carol.* 7. *Francor. p.* 21. *verb. cum comm.* Quod etiam juri canonico antiquo congruum. Quo aliquando à Clero & populo facta fuit electio, aliquando, à ſolo Clero, præſente populo. *c. nulla diſt.* 62. *c.* 2. 3. 6. 12. 13. 26. 34. 27. *diſtinct.* 63. *c. adjicimus* 16. *q.* 1. *diſtinct.* 64. 65. 66. 67. Licet ibidem fuerit variatum, nonnunquam Principibus conceſſa illa poteſtate, quamvis poſtmodum iterum denegata; uti id ſuperius fuit indicatum. vid. & *Duar. de ſacr. miniſt.* 3. *c.* 1. *&* 5. *de min. Eccl. c.* 1. *Speckhan. cent.* 3. *claſſ.* 1. *q.* 37. *n.* 10. Et ſi labor reformationis toti incumbit Eccleſiæ 2 *Chron.*

c. 30.

c. 30. *v.* 21. 22. etiam æquum & juſtum eſt, ut Eccleſiæ competat, ſui miniſtri electio. *vid. Beſold. de Majeſt. ſect.* 2. *c.* 3. §. 4. Quinimo cum oporteat miniſtros eſſe à Deo vocatos, & miſſos. *Jer. cap.* 14. *v.* 14. *Rom. cap.* 10. *v.* 14. *Hebr. c.* 5. *v.* 4. Nec cenſeantur à Deo vocati, qui non ab Eccleſiâ ſunt electi. *Matth. c.* 16. *v.* 18. *Actor. c.* 1. *v.* 6. conſequitur, nonniſi Eccleſię eorundem competere electionem. Accedit, ut ſi eccleſię invitæ obtrudatur miniſter, metuendum ſit ne ea ad deteriora declinet; miniſtri ſpernat monita, neque ab eo ſe corrigi patiatur. Nam quod quis non diligit, contemnit facile. Et uti eccleſiæ miniſter ſponſo comparatur, quem non oportet obtrudi ſponſæ, ita & liberum oportet eſſe eligentium placitum. Ut improbandi mores illorum miniſtrorum, qui ſibi hæredem deſignant ſucceſſorem, de quibus *c. epiſcopo* 8. *q.* 1. *Petr. Heig. q.* 6. *p.* 1. *n.* 5. Uti nec retinenda Papa-

Papatus conſuetudo quâ nonnunquam Princeps nominat, Pontifex confirmat, ut notat *Perez. Cod. Epiſc. n.* 3; vid. *Choppin. de Sacrâ Polit.* 1. *tit.* 1. *n.* 1. 2. 3. 4. Nec tamen rejicienda illa conſtitutio, quâ ordinandus publice ſiſtitur in Eccleſiâ, ut ſi quis contradicere velit, audiatur *l.* 19. *in fin. Cod. Epiſc. Audient. l.* 42. *in init. Cod. Epiſc. & Cler. Nov.* 6. *c.* 1. *ſ. ſi quis autem.* Sicuti ſecundum ordinationem Eccleſiaſticam præmittuntur trinæ proclamationes Dominicales, antequam confirmetur in facie Eccleſiæ. *vid. Socratem Hiſtor. Eccleſ. libr.* 6. *c.* 2, *&* 7. *c.* 39. *Theodoret.* 4. *c.* 20. *&* 5. *c.* 9. 27. *&* 7. *c.* 26. *Ruffin.* 1. *c.* 6. *cc. Synodi Nicenæ. Acta Colonienſ. de ann.* 1579. *&* 1586. *Ordinum mandato edita. & p.* 54. 143. 170. 171. 194. 195. 197. 198. *d. Actor. Colon. Confeſſ. Belgic. artic.* 31. *ibique Scripturæ loca. Confeſſ. Eccleſ. Helvetic. artic.* 17. *c.* 18. *& Bohemic. cap.* 9. *Gallicar. artic.* 29. 31. 32. *Nat. Synod. Embdan. de ann.* 1571. *art.* 13.

Synod.

Synod. Dordrac. de ann. 1574. *artic.* 12. *& ſeq. & de ann.* 1578. *artic.* 4. 12. *Synod. Mediob. de Ann.* 1581. *artic.* 4. 15. 17. *Hagæ comit. de ann.* 1586. *artic.* 4. 5. 20. 22. *Synod. Nation. Dordracen. de ann.* 1618. 1619. *artic.* 4. 5. 6. 7. 22. 24. *Conſtit. Ordin. Friſiæ de Ann.* 1616. *Febr.* 22. *& de ann.* 1622. *April.* 16. *& de ann.* 1645. *Mart.* 14. *artic.* 10. *Ordin. antehac in Hollandiâ concepta & conſummata circa jus Magiſtratus in Negot. Eccleſ. Per Arnold. Cornel. Delphenſ. Paſtorem edit. ann.* 1613. *vid. autores citatos in deductione Eccleſiæ Haerlemenſis impreſſâ de ann.* 1618. *Danæum de Eccl. libr.* 2. *cap.* 17. Moribus & conſtitutionibus Friſię electio Miniſtrorum eccleſiæ ruralis eſt penes immobilium poſſeſſores, qui prædium ibi tenent, modo ſint religionis orthodoxæ.

2. Sic inſuper miniſtros eligi oportet, ne ipſi ſuam promotionem malis artibus, prece, aut precio procuraverint. Neque enim ambitione ſed labore, ad munera pervenire decet.

decet. *Arg. l. contra publican.* 14. *Cod. Re Militari. libr.* 14. Nec ſe intrudere, ſed potius oblata honeſte recuſare. *c. diſplicet.* 23. *q.* 4. *c. in ſcriptura* 8. *q.* 1. *c. qui epiſcopatu. c.* 8. *q.* 1. *& eleganter. c. ſicut.* 1. *q.* 6. Ne honorem ſibi petiiſſe, aut captaſſe dicatur *contra Hebr. c.* 5. *v.* 4. Ut hic quam maxime id evitandum veniant ne videri poſſint. per potentiorum comminationes, aut preces, aut impreſſiones minus libere electi ab Eccleſiâ. Id quod etiam ipſa Pragmatica ſanctio Caroli 7. Gallor. improbavit, *fol.* 25. *in comm. ibidem.* Debet enim animus in conſulendo eſſe liber. *c.* 1. *in princ.* 8. *q.* 2. *l.* 11. *D. pollic. l.* 29. *& Auth. ſeq. l.* 42. §. 9. *in l.* 31. *Cod. Epiſc. & Cler.* Quia vero huc maxime facit. *d. l.* 31. eam huc tranſcribam, *Si quemquam*, inquit, *Imperator, vel in hac regiâ urbe, vel in cæteris Provinciis, quæ toto orbe diffuſæ ſunt, ad Epiſcopatus gradum provehi, Deo authore contigerit puris hominum mentibus, nudâ electionis conſcientiâ, ſyncero omni-*

um

um judicio proferatur. Nemo gradum ſacerdotii pretii venalitate meretur, quantum quiſque mereatur, non quantum dare ſufficiat, æſtimetur. Profecto enim, quis locus tutus & quæ cauſa poterit eſſe excuſata, ſi veneranda Dei templa pecuniis expugnentur? Quem murum integritatis, aut vallum fidei providebimus, ſi auri ſacra fames in penetralia veneranda proſerpat? Quid denique cautum eſſe poterit, aut ſecurum, ſi ſanctitas incorrupta corrumpatur? Ceſſet altaribus imminere profanus ardor avaritiæ, & à ſacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque caſtus, & humilis noſtris temporibus eligatur Epiſcopus, ut quocunque locorum pervenerit, omnia vitæ propriæ integritate purificet. Nec pretio, ſed precibus ordinetur antiſtes. Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi &c. vid. & Auth. quod pro hoc. Cod. Eod. Nov. 123. c. 2. & c. 3. Ubi tamen pro conſuetudine aliquid dandum ab electo ſtatuit Juſtinianus

nus, modo non excedat 20. libras auri. Nov. 6. c. 1. §. ſed neque pecuniis. Nov. 37. c. 2. Nov. 137. c. 2. in Decreto, cauſ. 1. q. 1. Cujac. ad nov. 6. Nov. 56. c. 12. de Elect. Pragm. Sanct. Caroli 7. Francor. fol. 31. verb. cum comment. Clar. 5. ſentent. §. Simonia & 33. Duaren. de ſacris miniſt. c. 2. lib. 6. Menoch. caſ. 401. n. 26. & ſeq. Duaren. Eccleſ. miniſt. 6. c. 1. 2. Rittersh. ad Nov. p. 1. c. 7. n. 29. & ſeq. Speckh. cent. 3. claſſ. 1. q. 37. n. 10. Choppin. 1. de Sacrâ Politiâ. tit. 1.

3. Eligendos autem convenit eſſe juſtæ ætatis, quæ quidem in jure variabat. Epiſcopi non minores eſſe debebant annis 35. ut & Preſbyteri; Diaconi, & Subdiaconi non minores annis 25. Lectores ad minimum 18. annorum. Nov. 37. c. 2. Nov. 123. c. 13. Quid autem jure Canonico cautum, de eo conſule Gratian. diſt. 28. 77. Clement. de ætate & qualitate ordinandorum. c. nullus de tempor. ordin. in 6. Pragm. ſanct. Carol. 7. Francor. fol. 32. verb.

cum comment. Trident. ſeſſion. 23. *c.* 6. 12. *Duaren.* 4. *de ſacr. min.* 9. *Barboſ. aliique ibidem ad l.* 9. *& Authenticas ſeqq. Cod. Epiſc. & Cler.* Moribus noſtris, qui ſacro codici conformes, ætas eligendorum eſt arbitrio eccleſiæ relinquenda. *Arg. l.* 1. §. 12. *D. jur. deliber.* Ut nec juventuti præcludenda ſit via promotionis, ex illo Paulino. 1 *Timoth. c.* 4. *v.* 12. *Ne quis veſtram contemnat juventutem.* Neque enim Presbyterorum canities in annorum numero, verum in ſcientiâ ac pietate quærendâ. Ut qui non tam propter Senectam decrepitam dicti presbyteri, quam quidem propter dona, quæ illum ordinem comitari oportet. *c. fin.* 84. *diſtinct.* Ut tamen non minores ſint annis 18. quæ ætas in jure plena appellatur pubertas. §. 4. *inſtit. de Adopt.* quæque in advocato deſideratur. *l.* 1. §. 3. *D. Poſtul.* Etiam in Conſule *l.* 1. *D offic. Conſul.* Etiam in judice. *l.* 57. *D. Re judic.* Quâ etiam ętate non facile admittendi, niſi excellant donis.

donis. Sicut enim malitia ſupplet nonnunquam ætatem : ita etiam prudentia quandoque annos antevertit. Ut ætatis venia ſit iis concedenda, quos morum honeſtas & mentis commendat ſolertia. *Arg. l. 2. Cod. qui veniam ætat. impetrav.*

4. Quin amplius de jure civili eligendos oportet eſſe liberos, non ſervos, cum etiam eo ipſo, quod creantur Epiſcopi, libertatem nanciſcantur. *l. 32. l. 27. l. 37. §. 1. Auth. ſi ſervus. Auth. ſed nemo Cod. Epiſc. & Cler. Nov. 123. c. 17. Perez. Cod. hic.* Uti, ſi ſint filii, electi Epiſcopi, liberantur patriæ poteſtatis nexibus, quod antea non obtinebat *l. 34. Cod. Epiſc. & Cleric. Nov. 81. c. 2. Nov. 123. c. ſi vero.* Inſuper eos oportebat eſſe cœlibes, non conjugatos, qui erat iſtorum temporum, quorundam error. *l. 19. 42. §. 1. Cod. de Epiſc. & Cler. Nov. 123. c. 29.* ſecus quam obtinebat per Leonis. *Novell. 23.* Ut Juſtiniani Imperatoris conſtitutiones in Eccleſiâ orientali, ut

& moribus noſtratium, non fuerint admiſſę, ſaltem non duraverint per Innocentium III. *in c. cum olim. 6. de Cleric. conjug. vid. & c. 12. diſt. 31. Duaren. 4. de ſacris miniſt. 7.*

5. An originarios eligi conveniat? Ita videtur dicendum, cæteris paribus. Ne aliter ſpes illorum pereat, qui diligentiâ, induſtriâ & obſequio gradum ſibi parant promotionis. *l. 11. Cod. de Epiſc. & Cleric. ibique Barboſ. in collectan. Cod. aliique plures.* Argum. *l. 2. Cod. offic. Prætor. l. 6. D. Ad Munic. l. 2. Cod. de Defenſor. Carol. 7. Francor. in proœm. pragm. ſanct. ibique comm. p. 10. verb. Covarr. Pract. quæſt. c. 35. n. 5. in fin. Boër. deciſ. 153. Mynſ. cent. 4. obſ. 30. ordin. camer. p. 1. tit. 1.* Ut tamen, quoad fieri poteſt, non ex contemptiſſimis eligantur, aut plebe illiteratâ. *1 Reg. c. 12. v. 31. dd. Nov.* Aliter, qui maxime idonei, qui aptiores cæteris nulla habitâ ratione ſanguinis, aut affinitatis, aut originis, præferendi. *l. 42. in init. Cod. de Epiſc.*

piſc. & Cleric. Etiam tales, quoad fieri poterit, qui corporis vitio aliquo notabili non ſunt affecti. *Levit. cap.* 21. *Duaren.* 4. *de benef. & miniſter. Eccleſ.* 3.4. *Selden. libr.* 2. *de ſucceſſ. in Pontif. Hebr. c.* 5.

6. Ut tamen omnes, qui ordinantur, ſint morati, & iis ornati, virtutibus, atque dotibus, quæ in locis variis ſcripturę ſacræ, ut & legibus, ac canonibus enumerantur. 1 *Timoth. c.* 3. *Tit. c.* 1. & 2. *v.* 7. 1 *Corinth. c.* 9. *l.* 34. *l. in init. Cod. Epiſc. & Cler.* Nov. 6. *c.* 1. *c.* 3. Nov. 57. *c.* 2. Nov. 123. *c.* 12. *can.* 2. *quæſt* 7. *c.* 11. *quæſt.* 3. *c.* 2. *diſtinct.* 23. *c.* 7. *c.* 29. *de Præbend. Andr. Rauchbar.* 2. *part. quæſt. jur. civil. & Saxon.* 25. *n.* 57. *& ſeqq. quem vide.*

Circa uſum cibi, & potus, & veſtimentorum moderati, quorum omnium inſignia multa, ex patribus deſcripta. *vid. diſtinct.* 41. 44. Et *apud Iſidorum libr.* 2. *de Eccleſ. offic. c.* 2.

Eruditi litterarum, linguarum,

Theologiæ. *Oſea c.* 4. *v.* 6. *Malach. c.* 2. *v.* 7. *Tit. c.* 1. *v.* 9. 11. *& ſeq.* 1 *Pet. c.* 3. *v.* 15. *Nov.* 6. *c.* 4. *Nov.* 123. *c.* 1. *& c.* 12. Maxime ſacrarum ſcripturarum, *dd. locis. & Matth. c.* 28. *v.* 19. *Marc. c.* 16. *v.* 15. 2 *Timoth. cap.* 1. *v.* 13. *c. ſi quis. c. qui Eccleſiaſticis. diſt.* 36.

Ut tamen etiam habeant non contemnendum rerum prophanarum cognitionem. Et in quantum commodius eas refutant, &in quantum autores prophani multa continent naturalia Dei dona. *c.* 9. *c. ſi quis autem* 36. *diſt.* Exemplo Moſis, qui dicitur in omni Ægyptiorum ſapientiâ fuiſſe verſatus. Exemplo itidem Danielis, Pauli, aliorumque. *Daniel. c.* 1. *Actor. c.* 7. *v.* 22. *Actor. c.* 17.

Adeoque in quibus ſal ſcientię, & ſal conſcientiæ reperiatur conjunctim. Id eſt, qui doctrinam & ſcientiam habeant illi muneri ſufficientem, junctâ morum honeſtate, vitæque probitate. *c. in cunctis.* 7. *c. nihil*

nihil eſt. 44. *de Elect. c.* 1. 2. 36. *diſt. c. ſi forte* §. *de Elect. in* 6. *Malach. c.* 2. *v.* 6. 7. *Oſeæ c.* 4. *v.* 6. *Actor. c.* 18. 1 *Pet.* 3. *v.* 15. 1 *Timoth.* 4. *v.* 6. 11. 13. 2 *Theſſal. c.* 2. *v. ult. Maxim. Tyrius Serm.* 15.

Ut tamen magis ædificet, ſi ſcientia mediocris, cum pietatis praxi ſit conjuncta, quam excellens ſine eâ. *c. unic.* 85. *diſt. c. cum nobis* 19. *de Elect. Arg.* 1. *Timoth. c.* 4. *v.* 6. 7. 8. Abundantia quippe charitatis, ac pietatis, defectum ſupplet doctrinę *c. niſi cum pridem.* 10. §. *pro defectu. de Renunciat. Arg. l. ſciendum.* 19. §. *illud.* & *l. ſi quid venditor.* 18. *in fin. initii. D. de Ædil. Edict.* Et ſcientia excellens, quandoque inſignia vitia habet adjuncta, ſæpe etiam quem reddit elatum. Ex illo Pauli dicto: *ſcientia inflat. d. c.* 10. *d.* §. *de Renunciat.* Certius etiam nihil eſt, plus vitæ modeſtiâ, quam doctrinâ nos ędificare, plus ſubinde orando, quam ſtudendo. Cum & ii qui verbo ſeſe non ſubjiciunt etiamnum morum honeſtate, ad fidem Chri-

ſtianam alliciantur. 1 *Petr. c.* 3. *v.* 1. Accedit, quod vita, & docentem, & alium faciat ſalvum, doctrina forte auditorem, non ipſum magiſtrum. 1 *Timoth. c.* 4. *v.* 16. Id quod inſigni ſimilitudine declarat alibi Hieronymus cujus ſententia extat
„ in corpore canon. Uti lixivium
„ per cinerem humidum fluens la-
„ vat, & non lavatur, ita bona do-
„ ctrina per malum doctorem ani-
„ mas credentium lavat à ſordibus
„ peccatorum.

Non autem eligantur deſides, aut negligentes. *Quod interiorum ordinum culpa ad nullos magis ſint referenda, quam ad deſides negligenteſque doctores, qui multam ſape nutriunt peſtilentiam, dum neceſſariam diſſimulant adhibere medicinam. Carol. & Ludovic. imperatores libr.* 7. *capit.* 39. Non qui ſpectaculis non qui vino, aut aleæ ſunt dediti *l.* 17. *& Auth. ſeq. Cod. de Epiſc. & Cleric. l. ult. Cod. Epiſc. audient. Nov.* 123. *c* 10. *Auth. interdicimus. Cod. de Epiſc. & Cleric.* vid. prolixe de hiſce *diſt.* 25. *c.* 3. *uſ-*

3. *uſque ad diſt.* 60. *c. à crapulâ* 14. *de vit. & honeſt. Cleric. c.* 15. *eod. tit. c.* 11. *de Exceſſ. Prælat. Tholoſ. Syntagm. jur. lib.* 16. *c.* 10. *Duaren. de ſacris miniſt.* 4. *Vigel. in method. juris civil. libr.* 3. *c.* 1. 2. 3. 4. *Speckhan. cent.* 3. *claſſ.* 1. *qu.* 37. *n.* 5. *Barboſ. collectan. ad l.* 17. *& ſeqq. Cod. Epiſc. & Cleric.*

Non qui invidi, calumniatores aut maledici. Aut ſi facti ſint maledici, veniam poſtulent, ni malint de gradu dejici nunquam abſque ſatisfactione ad officium revocandi. *c.* 5. *diſt.* 46. *cap.* 158. *libr.* 7. *Carol. & Ludov. impp.* Hoc ſi moribus obtineret, uti æquum eſt, ut obtineat, non ita qui favere ſtudent carni atque mundanis hominibus, adeoque ex ſuâ utilitate eccleſiæ utilitati volunt eſſe conſultum, in virorum pientiſſimorum famam graſſarentur impune. Neque infrunitis dicteriis ac calumniis adeo petulanter ſuos ſymmiſtas traducerent, odiumque potentiorum in illos excitarent, qui tantum ex eccleſiæ commodo,

ſuum metiuntur commodum.

Exemplum hujus rei laudabile exhibuerunt, pii ac reformati Geldriæ proceres, qui cum nonnulli ex miniſtris reformatis, quaſi in multis heterodoxi traducerentur, cauſâ probè examinatâ politice divulgatores talium calumniarum ad hoc adegerunt ut faſſi fuerint ſe malis præſumptionibus inductos, etiam affectibus abreptos, talia effutiiſſe. Seque illa dicta nolle, atque pœnitere; additâ promiſſione ſe nunquam in poſterum fratres ſuos ſymmiſtas talibus aut ſimilibus oneraturos. Nec hoc tantum, verum ut univerſo orbi innoteſceret, falſa fuiſſe omnia, quæ in fideles miniſtros fuerant jactata, conſtitutionem edi curarunt, adverſus omnes calumnias in miniſtros eccleſiarum reformatarum emiſſas. *declarat. de ann.* 1618. *Sept.* 15.

Non itidem eligendi, qui vacant peregrinationibus, ſic ut facili negotio, animi gratia, ab Eccleſiâ, citra neceſſita-

ceſſitatem abſint. *Duaren. 8. de benef. Eccleſ. 5.* Ut tamen non per omnia probanda. *Nov. 6. c. 3. Nov. 123. c. 9. 10. vid. & Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 1. de reform. Danæum lib. 2. de Poteſt. Eccl. c. 18.*

Non qui potius in aulâ, quam caulâ verſantur, qui palatia, non templa curant; quibus potiſſimum curæ Principibus ſeculi ſeſe inſinuare, quos tamen eccleſia quandoque invidos ſenſit. De quibus prolixe *Choppin. in Sacrâ Polit. libr. 2. tit. 1. n. 19. 20.*

Non itidem, qui ita affectant novam ſedem, aut Eccleſiam; contemptâ veteri, quia vilior. Hæc enim ambitionis & ſuperbiæ quæpiam eſt nota, quę propterea evitanda. *vid. Duaren. 5. de miniſter. Eccleſ. 3.* Non facile etiam, ſi alii bene nati ſint idonei, ſpurii ad Eccleſiæ miniſterium erunt admittendi. *Duaren. de miniſt. Eccleſ. 5.*

An non igitur aliis præferendi, quaſi perpetuâ quadam ſucceſſione

filii ſacerdotum, uti id quidem obſervatum fuit in veteri Teſtamento? Reſp. Etſi laudabile ſit, ac glorioſum, filios ſacerdotum paterna premere veſtigia. Quo nomine Juſtinianus Imperator *Nov.* 3. Epiphanium Patriarcham Oecumenicum laudat, quod ex ſacerdotibus genus & originem ducat. Etiam hoc ipſum non omnino illicitum cenſeri debeat. vid. *c.* 7. 8. 12. *de filiis Preſbyt.* 1 *Samuel. c.* 8. *v.* 1. Quia tamen in eccleſiaſticis functionibus, & promovendorum capacitas, & merita, & eccleſię inclinatio perpendi debet *c.* 3. 4. 5. 6. 7. 16. *cauſ.* 8. *q.* 1. *c. præſentium.* 3. *de filiis Preſbyter.* Etiam ſæpe id non ſucceſſit ſatis feliciter, quod heroum filii noxæ, & acetum filius vini: 1 *Samuel. c* 2. *v.* 12. 1 *Samuel. c.* 8. *v.* 1. 2. 3. Moſes hic itidem ſuo præivit exemplo, cui non filii, ſed Joſue ſucceſſit. *Deuter. c.* 30. *v.* 7. 23. *& c.* 34. *v.* 9. *Arg. l. unic. Cod. Ut omnes judic. tam civiles quam criminal.* Rectius, quis fecerit, ſi filios

os in miniſterio ſibi non deſignaverit ſucceſſores; etiamſi digni, quin imò optimi, ne forte in ſuſpicionem veniat ſedis affectatæ. Non tamen ideo improbanda, verum laudanda eſt quam maxime, illa eccleſiæ inclinatio, quæ miniſtri pientiſſimi, deque eccleſiâ, &c. causâ Dei optime meriti, filium, cæteris paribus aliis antepoſuerit. *Arg. l.* 3. §. 5. *& l.* 5. §. 5. *Cod. de Advoc. diverſ. judic.* Uti nec in electione votum patris, obeſſe debet filio, ſed potius prodeſſe. *l.* 5. *& l.* 6. *in init. D. Quod Cujuſque Univerſ. Nomin.* Nec tamen ſic quiſque, ſibi videbitur dediſſe ſuffragium, ſi dederit filio, licet vox filii in jure dicatur vox patris, & vice verſâ §. *ſi quis.* 4. *Inſtit. inut. ſtipul. l. ult. Cod. Impub. & aliis ſubſtit. l. cum ſcimus* §. *ult. Cod. Agricol. Cenſit.* Quia id tantum intelligitur in quibuſdam caſubus, non in omnibus. Maxime in illis rebus, quæ patri adquiri poſſunt.

Ut tamen raro, vel nunquam, admittatur in eccleſiaſticis negotiis

ſuffragium ſui ipſius, pro ſe ipſo. Quod videatur eſſe conſulta affectio eorum, quæ ſunt in nobis; quę omnino in miniſterio eccleſiaſtico evitanda. Arg. *l.* 4. *D. Tutor. & Curat.* Quo nomine reprehendendus Johannes 22. qui ſe ipſum in Papam elegit, referente *Anton. in Chronic. apud Bertachinum in verb. Electio.* Licet in negotiis ſecularibus quibuſdam non ea omnino ſit improbanda, maxime dum pluribus competit electio. *l.* 4. *D. quod cujuſque univ. nomin. Bartol. & Alexand. in l. ſi conſul. in fin. D. Adopt. & in d. l.* 4. *vid. Bertach. in tract. de Epiſcop.* 1. *libr.* 3. *parte Princip. Leibent. colleg. Polit. Exercit.* 8. *n.* 29.

Non tamen ideo omnino illicitum judicandum, ſi quis ſucceſſorem de meliore notâ, ſuæ commendaverit eccleſiæ. Quod nihil aliud eſt, quam de ſucceſſore cum fratribus deliberare. *c.* 1. 2. 7. *cauſ.* 8. *q.* 1. *dd. ſcript. ll.*

Verbo, omnes, quicunque ad mini-

miniſterium Eccleſiaſticum promoventur, ſint ἀνέγκλητοι, id eſt qui jure reprehendendi non ſunt; non autem qui non reprehendantur. Neque enim mortalium quiſpiam ita ſeſe compoſuerit, ita ſancte, & inculpate vixerit, ut non incurrat reprehenſiones hominum malevolorum. Id quod Chriſto ſalvatori ab omni labe immuni, quondam accidiſſe, ſacris litteris proditum eſt. Sunt tamen, ô tempora, ô mores! multi Eccleſiæ præfecti, *non tantum reprehenſi, ſed & reprehenſibiles, ut qui non digne ſuâ vivunt profeſſione, verum ex eorum numero, qui vel ipſum gregem inficiunt ſua turpitudine; *qui ſacerdotes, & tamen minime ſacerdotes, multi nomine, pauci re, videte ergo,* inquit Chryſoſtomus, *quomodo ſedetis ſuper cathedram. Non locus ſanctificat hominem, ſed homo locum. Non omnis ſacerdos ſanctus, ſed omnis ſanctus ſacerdos. Qui bene ſederit ſuper cathedram, honorem accipit ab illo, qui male ſederit, injuriam facit cathedræ.*

ideo-

ideoque malus ſacerdos de ſacerdotio ſuo crimen acquirit, non dignitatem. In judicio enim ſedens, ſiquidem bene vixeris, & docueris, omnium judex es, ſi autem bene docueris, & male vixeris, tui ſolius condemnator eris. Nam bene vivendo, & bene docendo populum inſtruis, quomodo debeat vivere. Bene autem docendo, & male vivendo Deum inſtruis, quomodo te debeat condemnare in c. multi. diſt. 40.

Unde paſſim & leges, & canones ſacrorum, & vitę anteactę rationem haberi volunt *c. in cunctis de electione. c. ſi quid viduam* 50. *diſt. c. qui in alio.* 51. *diſt. c. priſcis.* 56. *diſt. Arg. l. magiſtros Cod. Prof. & Med. Quomodo enim,* inquit Hieronymus, *poteſt Eccleſiæ præſes auferre malum de medio ejus, qui in delictum ſimile corruit? Aut quâ libertate peccantem corripere poteſt, cum tacitus ipſe ſibi reſpondeat, eadem ſe admiſiſſe, quæ corripit? c. ult. diſt.* 25. *vid. &* 49. *diſt. per tot.* Ubi multæ rationes non contemnendæ. Et Imperator Juſtinianus *Nov.* 123. *Si hi,* inquit, *quorum munus eſt orare pro populo, indigni miniſterio*

ſterio Dei inventi fuerint quomodo pro populi delictis Deum placare poterunt? Et certe, ſi una morbida ove grex polluitur, multo magis ex prælato immundo plures inficiuntur. 45. *diſt. c. 5. ſect. illud in fin.* Ut turpius nihil ſit, quam, quod inquiritur in corpore, non inveniri in capite, præſertim cum integritas capitis ſalus ſit inferiorum. *Pragm. ſanct. Carol. 7. Francor. fol. mihi 61. verb. & 62. cum comment. in 8.*

CAP. III. SECT. II.

1. *Curæ Epiſcoporum commiſſa ſcholarum inſpectio, aliaque plura.*
2. *A negotiis, ſecularibus oportet illos eſſe ſemotos.*
3. *Non conveniunt ſatis civile & eccleſiaſticum munus.*
4. *Officium Epiſcoporum, viſitatio ægrotorum.*
5. *Correctio peccatorum.*
6. *Ubi modus ſervandus.*
7. *Nec propter reprehenſionem, in miniſtros,*

ſtros, injuriarum actio intentanda.

1. **E**Piſcoporum autem curæ erat commiſſa ſcholarum inſpectio trivialium, etiam Academiarum. Potiſſimum enim ad hoc advertere debebunt, ne quæ falſa aut periculoſa dogmata ibidem proponantur; neve, qui Theologiæ dant operam, fiant prophani. Ne ſcholarum negligentiâ Chriſtianiſmus in Paganiſmum dilabatur. *Argum. Auth. Habita. Cod. Ne filius pro patre. ibique DD. Ritterſh. ad Nov. p.* 3. *c.* 8. *n.* 8. *& Vigel. loc. alleg. Ordin. Eccleſiaſt. Dordrac. de ann.* 1618. 1619. *art.* 21. 44.

Piarum itidem cauſarum ſuſcipiebant cognitionem; legatorum puta locis religioſis relictorum. *L.* 28. *Cod. Epiſc. & Cleric. Auth. licet teſtator Cod. Eod. nov.* 131. *c.* 11. Arg. *l.* 50. §. 1. *in fin. D. Pet. hæred. c.* 3. 6. 17. *pen. de Teſtam.* Etiam cavebant ne infantes langui nolenti exponantur, deque

eorum

eorum ſtatu & alimentis cognoſcebant. *l. 24. Cod. Epiſc. Aud. l. 3. in fin. Cod. Infant. Expoſ. c. fin. 83. diſt. Nov.* 153. Ne lenones patres occaſionem peccandi filialibus, aut ancillis imponant *l. 12. Cod. Epiſc. Audient.* Ne in numerum advocatorum, militum, ad Reipublicæ curam administrationem, defenſionem, juvenum inſtitutionem admittantur, qui non per teſtes juratos ſe probarint eſſe fidei orthodoxæ. *l. 19. cum ſeqq. Cod. Epiſc. Aud.* Amplius, de pupillo tutore dando erant ſolliciti *§. pen. inſtit. Attil. tutor.* Inſuper judices ſui admonebant officii. *l. 22. Cod. Epiſc. Aud.* Etiam quos noverant ad regimen Reipublicæ idoneos commendabant. *Nov.* 143. *c.* 1. Etiam una cum ditioribus civitatum, ut reipublicæ membra primaria; creationi curatorum reipublicæ intererant. *l. ult. Cod. ut nemin. liceat in coëmpt. ſpecier.*

Cura inſuper rerum venalium, ne immoderatum ſtatueretur pretium,

um, illis aliquo modo commiſſa fuit. *l.* 1. *Cod. Epiſc. Audient.* Litium, itidem ſollicitudo, ut Præſides eas celeriter finirent etiam eoſdem ſpectabat. Quod ſi Præſides moras nectèrent, ad Principem cauſam referebant Epiſcopi. *Nov.* 87. Qui etiam ſuſpectis adjunguntur Præſidibus. *Nov.* 53. Viſitatio præterea carceratorum. *l.* 22. §. 1. *Cod. Epiſcop. Aud. l. fin. Cod. Cuſtod. Reor.* Miſerabilium perſonarum defenſio illis commendata. *l.* 8. *Cod. de his qui ad Eccleſ. conf.*

Advertebant inſuper ne forte temere juſjurandum exigeretur; adeoque præſentes, erant, ſi juramentum à curatore furioſi præſtandum. *l. de creationibus* 27. *l. ſancimus in curat.* 30. *Cod. Epiſc. Aud. l. fin.* §. *& ſi quidem parens* 5. *Cod. Curat. Furioſ.* Etiam, ſi filiis furioſi donatio, propter nuptias; furioſi filiæ dos eſſet aſſignanda. *l. tam de mentis.* 28. *Cod. Epiſc. Aud.*

Quin amplius in aleatores animadvertebant. *l. fin. Cod. de Aleator.*

Curam

Curam habebant ſepulchrorum. *Nov.* 60. §. *fin.*

Quod ſi quiſpiam aliquid ſui juris denunciandum haberet, judice, aut parte abſente, id Epiſcopo, cui maxime fides habenda, denunciabat. *l.* 21. *l.* 31. *Cod. Epiſc. Audient.*

Atque adeo generaliter illorum curæ ſubjiciebantur ea, quæ ſuo modo ad opera charitatis atque pietatis erant referenda. *Argum. Matth. c.* 25. *v.* 36. Quæque aliquo modo religionem orthodoxam concernebant eique eſſet impedimento. Unde ſi forte non tantum à Theologis, ſed etiam à Philoſophis aut Mathematicis commiſſum quid eſſet voce vel ſcripto, quod orthodoxiæ præjudicaret, illis adverſabantur, eoſque notabant. *Argum. l. Mathematicos.* 10. *Cod Epiſc. Audient.*

Denique in omnibus cauſis & caſubus, in quibus de peccato quæritur, deque licito aut illicito, in foro conſcientiæ interiori, ſeſe pro re natâ, immiſcebant. Arg. *l.* 6.

Cod.

Cod. de Spectac. libr. 11. *l. ſi lenones* 12. *Cod. Epiſc. Audient. l. neque ſervus.* 14. *Cod. eod. l. ſacram fecimus.* 33. *Cod. eod.*

Cęteris vero negotiis abſtinebant ne ſeſe forenſibus diſceptationibus immiſcere videantur. Id quod veriſſimum de jure divino per textum expreſſum, in 2. *Epiſtol. Pauli ad Timoth. c.* 2. *v.* 4. Cui conſonat jus civile. *l. placet* 17. *l. Repetita.* 41. *l. generaliter.* 51. §. 1. *Cod. Epiſcop. & Cleric. l. conſulta divalia.* 23. *Cod. de Teſtam. Nov.* 6. *c.* 2. 3. *Nov.* 133. *c.* 6. §. *ſed neque &c.* 10. §. *ubi autem. l. non diſtinguemus.* 32. §. 4. *D. Recept. Arbitr. Nov. Leon.* 86. Excepto caſu *nov.* 123. *c.* 6. *verb. ſed etiam ipſos.* Ubi bona ſuæ eccleſiæ & poſſeſſiones ad vivendum recte conducunt Eccleſię miniſterio dicati.

Nec diſſidet jus canonicum, quo etiam negotia ſecularia eos negligere oportet. *c.* 1. §. *fin. de vitâ & honeſtat. Cleric. c.* 1. 3. 4. *& ſeqq.* 88. *diſtinct. c. te quidem.* 11. *q. vid. Photium. tit.* 8. *Nomocan. cap.* 12. *& capi-*

tul.

tul. Carol. & Ludovici Imperatorum libr. 1. c. 22. & libr. 5. c. 107. Horenbeeck. ad Bull. Innoc. 10. p. 222.

Ne tamen ſint imperiti ſecularium, adeoque in illis fatui, aut ſtolidi. Ut illis applicari poſſit illud Salvatoris: *ſint prudentes tanquam ſerpentes, & ſimplices ſicuti columbæ. Matth. c. 10. v. 16. diſtinct. 39. c. unic.* Nec deſit requiſitum in epiſcopis ab Apoſtolo Paulo deſideratum. 1 *Timoth. c. 3. v. 2.* Et quo magis eos mundani homines, quique eccleſiarum libertati invidi, velint eſſe ſtupidos, prorſus rerum ſecularium ignaros; eo vigilantius advertendum eſt, ne ſint omnino forenſium negotiorum, etiam juris civilis imperiti. Quo magis ex illis tanquam Ethicâ quâ Chriſtianâ, & ex hoc tanquam uberrimo juſtitiæ fonte hauriant, quod ad ſuam conferant profeſſionem. *Duaren. Sacr. Miniſter. 4. c. 2. diſtinct. 39.*

3. Verum hic forte quæſierit quiſpiam in tranſitu, num cum munere

nere eccleſiaſtico pugnet civile aut foronſe aliquod officium; in tantum, ut in eadem ſede collocari aut in eadem perſonâ, cumulari nequeant? Reſpondeo, etſi forte non ſint prorſus ἀσύςατα ecclesiaſticum & civile munus. Quod concurriſſe legamus, ſacrorum prophanorumque curam, nec eam in omnibus & ſingulis reprehenſam fuiſſe. Levitas itidem in veteri teſtamento negotiis civilibus incubuiſſe. Etiam in novo teſtamento ab arbitriis non abſtinuerint ipſi Apoſtoli. 1 *Corinth. c.* 6. Quia tamen in veteri teſtamento in pleriſque disjuncta voluit munia Deus Opt. Max. Rector Judaicæ gentis, modo peculiari. Nec Moſes, licet omnis generis virtutibus ornatus & inſtructus fidelis Dei ſervus, ſeſe functionibus ſacrorum, auditionibuſque civilibus exiſtimavit eſſe parem. *Exod. c.* 28, 29. Etiam ea ſeparata voluit, Pientiſſimus Rex Joſaphatus, 2 *Cronicor. c.* 19. Quid ni etiam noſtris ea disjungenda tempori-

poribus. Quo miniſtri eo liberius, ac liberalius, tempeſtive, intempeſtive, docere, hortari, monere, paſcere gregem dominicum, ſibi commiſſum, ac commendatum, valeant. Et certe ſi legibus Romanis militibus negotia civilia tractare interdictum, quo melius armorum exercitio darent operam, quid ni multo magis militiæ cœleſtis alumnos oportebit à functionibus abſtinere civilibus, ut qui ſe totos dederunt vigiliis & curis animarum, quę pretio nummario æſtimari non poſſunt. vid. *Alberic. de Nupt. libr.* 1. *c.* 14. *p.* 60. 61. *Gregor. Tholoſ.* 8. *de Republic.* 2. *n.* 6. *vid. Sixtin. de Regal. libr.* 1. *c.* 4. *n.* 116. *& ſeqq. Argumento, ab armatâ militiâ ad cœleſtem. Everhard. in Topicit. loc.* 22. *Claud. Cantiuncul. in* 12. *ſpecie, loco: à ſimili. Vaz. Barboſ. Princ. juris utriuſque. litt. A. n.* 190.

4. Verum ut revertar unde fueram digreſſus, puta ad officium Epiſcoporum; id etiam ad eorum

O ſpectat

ſpectat ſollicitudinem ut oſtiatim Eccleſiæ membra, ſanos & ægrotos viſitent, compellent, inſtruant & contradicentes repellant &c. *Actor. c.* 5. *v.* 42. *& c.* 18. *v.* 22. *& c.* 20. *v.* 20. 1 *Timoth. c.* 4. *v.* 15. 2 *Timoth. c.* 2. *v.* 15. 16. *Tit. c.* 1. *v.* 5. 9. 11. Membris potiſſimum Eccleſiæ aſſiſtant, eiſque ſolatio ſint tempore periculoſo, puta ſi ingruat peſtilitas, aut aliud mali genus. Turpe enim Epiſcopum Eccleſiam deſerere tempore neceſſitatis, aut calamitatis obortę. Nam ſi perniciosum eſt navim derelinquere in tranquillitate, multo magis in fluctubus. *c. ſciſcitatus.* 7. *q.* 1. Exemplo Aaronis *Num. c.* 16. *v.* 48. *Eſai. c.* 38. *v.* 21. Præterquam, quod diſceſſus, præter vanum timorem, etiam aliquam arguat diffidentiā, quam procul ab iis abeſſe oportet; ſecundum *Pſ.* 91. *v.* 7. *Matth. c.* 10. *v.* 30. *Hebr. c.* 13. *v.* 5.

5. Ulterius peccatores corrigant *Eſai. c.* 51. *v.* 1. 1 *Tim. c.* 5. *v.* 20. Impietatem ſingulis annuncient.

Eſech.

Eſech. c. 3. *v.* 17. malitiis reſiſtant. 1 *Corinth. c.* 3. *v.* 10. Idque ſine diſcrimine: habita tamen, in corrigendi modo ratione perſonarum. *Exod. c.* 6. *v.* 11. *Jerem. c.* 13. *v.* 19. *& c.* 19. *v.* 19. *Eſech. c.* 21. *v.* 1. 1 *Sam. c.* 15. *v.* 19. 2 *Sam. c.* 12. *v.* 9. 1 *Reg. c.* 18. *v.* 18. *Eſai. c.* 39. *v.* 6. Neque intererit, in aulâ regis, quid reprehendendum veniat, an in caulâ. *Amos. c.* 7. *v.* 12. 13. *Mich. c.* 3. *v.* 1. *& c.* 6. *v.* 2. Leges enim divinæ & Eccleſiaſticæ omnes reſpiciunt, quia ea eſt legum natura. *l.* 2. *D. Jur. & fact. ignor.* ut neque gratiæ, aut odio locus eſſe debeat. *Cujac. ad Nov.* 22. *in init.* Ut inhærendum ſit regulæ, donec exceptio probetur. *Schrader. de feud. p.* 9. *c.* 7. *n.* 146. & in dubio ſecundum regulam ſit judicandum. *l. ab ea parte. D. de probat.* Nec credatur alleganti privilegium, ſine lege. Quod erubeſcamus ſine lege loqui. *Nov.* 18. *c.* 5. Maxime, cum peccatis eorum, qui principes populi, & directores ſunt, qui di-

gniores, qui potentiores, plus ſæpiſſime offendatur Eccleſia;ut ſecundum canones de talibus gravius ſit judicandum, quod exemplo facilius alii ad ſimilia poſſint provocari. *c. cum quidam. de jurejur.* Unde ubi de ſimplici juſtitiâ quæritur, non ſunt curanda merita perſonarum. *Jaſon. in l.* 10. *D. Juriſd. Carpſov. pract. crimin. p.* 1, *q.* 45. *n.* 91. Adeoque pœnæ ſine delectu imponendæ. *c. ea quæ.* §. 1. *de ſtat. Monach.* Quo cum convenit dictum Theodoſii, multo magis pœnâ dignos cenſentis, quibus, cum plurimum honoris per ipſius juſſionem delatum eſt, in occulto inveniantur crimine. *l. preſbyteri.* 8. *Cod. Epiſc. & Cleric. Barboſ. in collectan. ibid. n.* 5. Id quod etiam dicto Pauli 1 *Timoth. c.* 5. *v.* 20. conveniens eſt.

Ut hic offendant illi Eccleſiarum miniſtri, qui ad ſingula connivere ſolent, propter potentiores, & potius Uzziam ſacris operam dantem paterentur, quam ut eum impurum declama-

declamarent. Quo nomine equidem peſſimam morbis animi medicinam adhibent, palliativam non ſanativam. Neque enim ſalubris ea eſſe poteſt, quæ plus perturbat infirmos bonos, quam corrigit animoſos malos. *c. non poteſt.* 23. *q.* 4. Et præter officium faciunt, qui minus gregi conſulere ſtudent, dum Principi adulantur, ac laudibus illorum delectantur, qui eccleſiæ pietati, piiſque mentibus inſidiantur. Nihil etenim eſt talibus paſtoribus miſerius, quam qui luporum encomiis glorientur, quibus ſi placere voluerint, atque ab his amari delegerint, erit hinc ovibus magna pernicies. Nullus quippe paſtorum, gratus eſſe lupis, & gregibus omnibus poteſt. Perdit enim laborum memoriam mens terrenis obligata carceribus. *c.* 6. *diſt.* 83.

Quoque hæc magis omnia evitare valeant, non facile ad aulas ſe recipient eccleſiæ miniſtri; nec ibidem gratiam magnatum ambient, aut

ſavorem gnatonice captabunt, id non ſine muneris ſibi concrediti detrimento. Quod quia deplorat graviter, & perſtringit graphice Choppinus, loco antea allegato. 2. Polit. Sacr. tit. 1. ejus verba deſcribam. *Deflenda iſtic obiter infelicius hujus ſeculi conditio, quo templorum ſacerdotes impotentius captant aulica negotia, civica, militaria, & id genus publica ac profana, quanto pluribus ut ſacerdotiis ditati ſunt, ita eccleſiis debuerant attentius miniſtrare &c. Aſt non minus inviti quondam ad aulas, relictis ſuis veluti caulis, quam ad caſtra pii trahebantur Epiſcopi. Quin & Sardicenſis Synodus intonat adverſus degeneres & ambitioſos Præſules, qui ſacri immemores officii, deſertoque gregis ſibi commiſſi præſidio, curſitabant in regiam, præcipitque ut Antiſtites alii quempiam ſui ordinis conſpicati excurrentem illum, graviter interrogent, & quo, & cur proficiſcatur. Ac ſi ultro ſuſceptam profectionem intelligant, eum ſuo piorumque conſortio ejiciant, tanquam eccleſiæ hoſtem vel deſertorem. Donatiſtæ inſuper*

cum

cum noſtris invidioſe objicerent, quid Chriſtianis cum regibus? Quid Epiſcopis cum Palatio? Id optatus Afer refutat hoc nomine, quod Donatiſtæ, Ipſi palatinam Aulicamque vitam ducerent: quam ideo Africanis Chriſtianis minime omnium aulicis exprobrare non poterant. Eamque propemodum in ſententiam ſcripſit D. *Auguſtinus contra Petilianum in Chriſtianos debacchantem.* (*Quid nobis cum Regibus ſeculi, quos nunquam Chriſtianitas, niſi invidos ſenſit?*) *libr.* 2. *c.* 92. *Sane turpiſſimum fuit illis ſeculis, ſponſæ alligatum eccleſiæ ſolvendi vinculi artes excogitare ſeu divortium, & è ſtatariâ ad motoriam, turbulentamq; Regii comitatus ſcænam ſe transferre. Erant ſacri homines, Chriſti vineæ Coloni, ejuſque legati, ac myſteriorum œconomi, non Regum aſſeclæ, Comites, & adminiſtri: Euangeliſtæ erant, non Satrapæ: Nomophylactes, non Nomothetæ: Eccleſiæ gubernatores, non reipublicæ paſtores, non Prædones, & quæ ſequuntur alia. Et n.* 20.

Si quos tamen Epiſcopos è ſacrâ Provinciâ evocarit in Regiam vel

neceſſitas Eccleſię, vel publica regni utilitas, iis pro tempore liceat in Aulico contubernio verſari. A quibus divinam præſertim legem capiat Princeps, *exſcribat, ediſcat: quos & fidos Conſiliarios, nec Politiæ tantum gnaros experiatur, ſed vitæ bene agendæ magiſtros, rectæque conſcientiæ formatores. Ita mire in Aulâ effloruit Jojada Pontifex, Joan Hebræum regem optimis imbuens moribus & Inſtitutis. Tales fuiſſe prædicantur Elias, Eliſæus Regum inunctor ac conſecrator, Daniel cum Collegis, aulici quidam Philoſophi, qui à Principis latere non diſcedebant. Sic Eſdræ viciſſim ac Nehemiæ ſanctioribus conſiliis adjuti ſunt priſci Hebræorum, Babylonis, & Perſidis Reges, domeſticis vitæ ſuæ rationibus commonefacti, nil certius proverbiali hoc ſchemate:* Σοφοὶ Τυράννοι τῇ σοφῶν συνουσίᾳ *Sapientes reges, ſapientum converſatio. &c.*

Verum an non igitur, dum in officio Eccleſiaſtico hortando corrigendo verſantur miniſtri, imperatori ſubſunt, an Chriſto, tanquam capiti,

capiti, cujus ſunt miniſtri & legati? Reſp. Aff. Poſterius. per textum. 1. *Corinth. c.* 4. *v.* 1. *& 2 Corinth. c.* 5. *v.* 20. Quo etiam nomine eoſdem Imperatores, ut patres ſpirituales venerantur. *l.* 16. *paulo ante medium. Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* ut parum curare debeant, quid de ſe loquantur, quid minentur homines, memores illius Apoſtoli. 1. *Corinth. c.* 4. *v.* 9. 13. Neque enim Euangelium Chriſti ſincere prædicantibus unquam crux deerit. Et ut alibi Calvinus. *Regimen Eccleſiæ non eſt jucunda occupatio, in quâ nos ſuaviter, & animi gratiâ exerceamur, ſed dura & aſpera militia, Satana quicquid poteſt, contra nos moliente, & omnem lapidem movente, ut nos in Eccleſiâ turbet.*

Quo tamen prudentiâ zelum temperent, hanc cautelam adhibebunt, ut cum magnatibus agant verecunde, ſi peccatum non ſit in propatulo 2 *Sam. c.* 12. *v.* 1. iiſque per miniſtros ſua conſtet auctoritas, de quamaxime viri Principes ſolliciti

ſunt. 1 *Sam. c.* 15. *v.* 16. *& ſeq. &* 30. Quæ etiam ratio, quod in cauſis ſæcularibus, contemplatione perſonarum pœnæ nonnunquam mitigari ſoleant, præſertim ſi ſint arbitrariæ. *l.* 1. §. 3. *D. de Abig. l.* 1. *D. Term. mot.* §. 4. §. 7. *inſtit. Publ. judic. & per not. à Tiraq. tract. de pœn. mitig. cauſ.* 31. *& tract. de nobil. c.* 20. *n.* 198. *Clar.* 5. *ſent.* §. *fin. q.* 6. *n.* 27. & diſtinguit *Barboſ. in collectan. ad Cod.* inter pœnam corporalem, quæ debet eſſe mitior, & pecuniariam, quę gravior. Licet graviorem in foro animæ probet per DD. *in l.* 3. *Cod. de ſacroſ. Trinit. n.* 5. Hinc etiam miniſtri, ſubjectionem erga ſuperiores licet peccantes, ſubditis frequenter inſtillabunt, exemplo Chriſti. *Matt. c.* 22. *v.* 17. 19. 20. 21. *Jerem. c.* 37. *v.* 20. *Pauli Actor. c.* 25. *v.* 10. *& ſeq. Argum. Nov.* 12. *c.* 2.

6. Modus autem talis ſervandus erit, ut quandoque palam, quandoque clam reprehendant 1 *Timoth. c.* 5. *v.* 20. *Matt. c.* 18. Si clam peccatum,

tum, mitius, ſi palam, ſeverius. Quod qui clam peccant minus, quam palam delinquentes offendant. Ut tamen hoc ipſum perpetuum non ſit. *Arg. l. ult. D. Ritu nupt. Barboſ. collect. ad l. 3. n. 6. Cod. Sacroſ. Trinit. & l. 4. n. 9 Cod. Epiſc. & Cleric. & l. 8. n. 6.*

Quandoque blande admoneant. *Matth. cap. 18. verſ. 15.* & fractum conſolident. *Eſech. cap. 34. verſ. 4. Quia quicquid lacerato animo dicitur, punientis eſt animus, non charitas corrigentis. Auguſt. in cap. 6. ad Galat. Et leviter caſtigatus venerationem exhibet caſtiganti. Aſperitate autem nimiâ, & increpatione offenſus, nec increpationem recipit, nec ſalutem. Proſp. 2. de vitâ contemplativâ.* Quandoque tamen voce duriore, & altiore loquantur, ligonem ligonem appellando. Quin imo nonnunquam perſtringendo acerbe. *2 Reg. c. 6. v. 32.* quo peccatores obdurati in malitia, pudore ſuffundantur. *Matth. c. 3. v. 7. & c. 23. v. 16. 17. Eſech. cap. 33. v. 7. 8. Job. c. 8. v. 44. Paulus ad Galat. c. 3.*

v. 1. 1 *Corinth. c.* 4. *v.* 14. 2 *Corinth. c.* 12. *v.* 13. *& ibid. Belgæ commentatores.* 2 *Timoth. c.* 4. *v.* 2. 17. vid. *Pruckmannum in manuali mille quæſtion. Illuſtr. Theolog. Poſt Keſleri & Balduin. conſc. caſ. cent.* 4. *q.* 25. *& ſeqq.*

7. Neque eo nomine injuriarum teneri, aut conveniri miniſtros oportet. Licet duris increpationibus in vitia ſint invecti. *Mich.* 3. *v.* 1. *Matth.* 3. *v.* 7. *Actor.* 7. *v.* 51. Niſi tamen perſonaliter ſic loquar, injuriam dixerint, idque animo & intentione injuriandi. *Pax religion. de ann.* 1579 *art.* 17. Quod equidem non facile, imo non eſt præſumendum.

Ut non facile adverſus miniſtros Eccleſiarum admittendus ſit injuriarum proceſſus, aut accuſatio. 1. *Timoth. c.* 5. *v.* 19. Quod injuriæ non ſint, niſi ubi eſt dolus, cujus præſumptioni tantum rei illicitę tractatio cauſam præbet. *l.* 5. *Cod. de injur. l.* 18. *§. injuria. D. Eod. Clar.* 5. *ſent. §. injuria. n.* 12. Licet enim in proferentibus, ſi verba ſint injurioſa, animus

nimus injuriandi præſumatur. Id tamen fallit, quando alia oritur præſumptio, ex qualitate & officio perſonæ verba injurioſa proferentis. Id quod accidit in eccleſiæ miniſtro, patre ſpirituali, præceptore, patre naturali, qui inter monendum, docendum, emendandum, corrigendum, reprehendendum, injurioſa adhibet vocabula. *l. ſed et ſi.* 5. *in fin. D. Ad l. Aquil l. item apud.* 15. §. *adjicitur.* 38. *D. injuriis. l.* 13. §. 4. *D. locat. c. abſit.* 11. *q.* 3. *Bartol. in conſil.* 104. *incipit. Piſis teſtibus exam. Angel. Aretin. in addit. Gail.* 2. *obſ.* 106. *n.* 6. *Martin. Uranius.* 3. *Tom. conſil. de injur. conſil.* 1. *n.* 6. 7. & 3. *conſil.* 8. *n.* 14. *Harprecht. vol.* 2. *diſp.* 18. *theſ.* 26. *Damhoud. in Praxi Rerum Crimin. c.* 139. *n.* 12. *poſt medium. Meireri Colleg. Argentor. libr.* 47. *P. tit.* 10. *theſ.* 12. *n.* 38. *Vult. Juriſprud. Roman. libr.* 1. *c.* 49. *n.* 19. *Schrader. de feud. p.* 9. *c* 4. *n.* 121. *vid. Pruckmann. loc cit. cent.* 4. *q.* 84.

Unde concurrentibus duabus

præſumptionibus, unâ pro delicto, & injuriâ, alterâ pro ejuſdem evitatione, tunc eam oportet præponderare, quę ad hoc juvat ut delictum evitetur. Idque propalam ſtatuitur, *in l.* 15. *§. ſi quis Aſtrologus.* 13. *D. Injuriis. l.* 7. *in init. D. de Reſtit. in Integrum.*

Quam ſententiam, ut indubitatam totum ſequi mundum, poſt *Bartolum in l. non ſolum. §. ſed ut probari. D. nov. oper. nuntiat. ſcribit Alexand. ibid. Ludovic. Roman. conſ.* 96. *Oldrad. conſil.* 53. *apud Martin. Uranium. tom.* 3. *conſil. de injuriis.* 1. *n.* 5. 6. 7. 8. *Cravett. conſil.* 9. *n.* 20. Quin imo ob miniſterii reverentiam, & quia miniſtri Chriſti legati ſunt, non temere actiones in illorum contemtum intentandæ. 2. *Corinth. c.* 5. *v.* 20. *Luc. c.* 10. *v.* 16.

Quinimo ſi forte, dum in officio verſantur miniſtri, in aliquem minus prudenter quid dixiſſent, via concordię tentanda foret. *vid. Tholoſ. Synt. jur. univ. lib.* 38. *c.* 7. *n.* 4. *Weſemb.*

ſemb. Parat. D. de injur. n. 8.

Et ſi quidem in factis quibuſdam erraſſent, dum bono fini dant operã, vel minus bene de quopiam ſenſiſſent, aut de re quâ rogati, dum muneri ſuo vacant, reſpondiſſent, quod forte injurioſum, errore quo decepti, veniâ digni cenſebuntur. Quod in pœnis vitandis, qualiſcunque facti error ſufficiat. *Cravett. conſil.* 419. *n.* 7.

Non aliter atque medicus ab aliquo conſultus, ſuper cujuſdam ægrotantis morbo, morbi cauſâ, &c. reſponderit illum morbo Gallico laborare, idque forte per errorem; aut hariolus furem illum dixerit, qui fur non erat, rei furtivæ nomine rogatus, injuriarum conveniri non poteſt.

Ita incuſari nullo jure poterit eccleſiæ Epiſcopus, vel paſtor animarum, ſi de conſcientię caſubus interrogatus, deque quæſtionibus Theologicis conventus, reſponderit, ſecundum conſcientiæ dictamen; li-

cet forte erronee. *l. item apud.* 15. §. *ſi quis Aſtrologus.* 13. *D. Injur. ibique DD. Martin. Uran.* 3. *Conſil.* 1. *de Injuriis. n.* 6. 7. *& ſeqq. Harpricht. vol.* 2. *diſp.* 18. *theſ.* 26. *lit B. Mejer. Colleg. Argenterat. tit. de injuriis. theſ.* 12. *n.* 38. 39.

Ut talium hominum (in quæ tempora, proh dolor! incidimus) punienda foret malitia, qui forte uno atque altero verbo rigoroſo, à miniſtris offenſi, famam eorum ſugillare non verentur. *Carpzov. Juriſpr. Conſiſt. lib.* 3. *tit.* 9. *def.* 100. *n.* 13. In tantum etiam puniendi, ut ſi non jure miniſtros lite vexaſſent, in omnes expenſas eſſent condemnandi. *l.* 31. *§. final. Cod. Epiſc. & Cleric.*

8. Quod ſi ſæpe, & inſtanter admoniti fuerint homines, nec tamen deſiſtant à peccato, non ideo miniſtris erit deſiſtendum, idque exemplo Salvatoris Chriſti, qui licet fruſtra laboraverit, non tamen deſtitit, quod officium ejus eſſet penes Jehovam. *Eſai. c.* 49. *v.* 4. *Matt. c.* 23. *v.* 37. Peccantibus enim ad minimum,

mum, pudorem incutient, & ſi perdurent, eos reddent inexcuſabiles; alios abſterrebunt, ſimilia forte auſuros; bonos probe agentes ſtabilient; ſaltem ſibi ipſi, ideſt ſuæ conſcientiæ proderunt, dum probe funguntur officio vigilis, ſeu cuſtodis. Quo facit Chryſoſthomi locus. *Homil.* I. *de Lazar. Pone neminem noſtris dictis fuiſſe perſuaſum; ne ſic quidem nobis nihil lucri adferet ſermo noſter. Nam etiamſi nonnulli ingreſſi ſunt cauponam, non tamen cum pari, quâ ſolebant, impudentiâ, ſunt ingreſſi; Ad ipſam etiam menſam, crebro noſtrorum verborum recordati ſunt, ſubiit illis noſtra reprehenſio, rediit in memoriam noſtra objurgatio, ac recordantes pudore ſuffuſi ſunt. Erubuerunt tacitâ cogitatione, nec ſimili impudentiâ, quæ ſolebant, fecerunt.* Et alibi. *Non correxi ægrotantes, attamen eos, qui valent, reddidi firmiores. Non abduxit à vitio ſermo noſter, ſed tamen eos qui cum virtute vitam agunt, reddidit attentiores.*

Quâ ratione nihil magis eſt in Dei

Dei miniſtro commendandum, quam ut dicendo, monendo, increpando, ſit animoſus; conſcientiæ libertatem ſervet illæſam; ne fidei aut conſcientię naufragium aliquod patiatur, minarum procellâ de recto curſu dejectus. Id ne eveniat conſcientiæ ac ſcientiæ libertati, duos velim junctos comites *Prudentiam*, & *Conſtantiam*. Quod quia publicâ quondam ſuaſi diſſertatione, eam hoc loco inſertam volui.

Sicuti omni jure corpus liberum extra commercium hominum conſtitutum, nullo pretio nummario æſtimari poteſt, ita humanæ conditio libertatis re quavis licet pretioſiſſima carior. Eâ quippe ademptâ, res viliſſima cenſebitur homo, ut qui quadrupedum inſtar vel publice de cataſtâ ejus habitudinem explorantibus, divendetur. Cui, ſi rurſum contuleris libertatem, omnium creaturarum præſtantiſſimus eſſe cenſebitur. Ut ipſa libertas, per quam humanæ naturæ tam

eximia

eximia dignitas accedit, rebus omnibus inferioribus, fragilibus & caducis, ſit præſtantior. Quo etiam potiſſimum nomine, ab omnibus animantibus brutis, ſenſu rationis adeoque jure electionis carentibus, ſecerni ſolet. Et cum libertas alia ſit voluntatis, conſcientiæ alia. Hanc illi multis numeris eſſe præferendam, negari non poterit. Illa quippe poteſtas faciendi quod lubet, niſi vel vi, vel jure prohibeatur; ut illius exercitium præpediri quandoque poſſit. Hęc vero talis eſt homini indita facultas, ſecundum quam ab omnibus independens creaturis, ſe ſolummodo, dum de ſe ipſo judicat, ſubjicit judicio Dei. Illa magis ad humanæ naturæ conſervationem, vel in ſpecie, vel in individuo, cujuſque naturę eſt indita. Hęc ideo cuique mortalium ingenita, ut vicariâ Dei fungatur operà intra naturam humanam. Quæ præſentem ſemper Deum facit etiam habet, dum ejus veluti idolum, (ſic loquar)
vel

vel vicarium ſecum ducit, etiam perpetuo circumducit. Ut illâ ſi non ablatâ, ſaltem diminutâ, hæc diminui ab ullo terreno judice nec debeat, nec poſſit. Cui eapropter nullum jus humanum, nulla mortalium potentia, nulla vis fatalis, vel in minimo prejudicium adfert. De libertate itaque conſcientiæ, re præſtantiſſimâ, nulli in quovis ſtatu denegatâ, niſi ipſe eam ſuâ ſponte perditam, aut proditam velit diſſertaturus, potiſſimum duos ei comites jungam de jure inſeparabiles, *prudentiam,* atque *conſtantiam.* Quam in omni vitę genere deſidero, maxime in iis, qui aliis voce aut ſcripto prælucere, adeoque viæ ductores eſſe ſolent. Nec tantum in viris Theologis, qui monitis & præceptis divinis virtutes inſtillant populo, quo de Deo verus inſit ſenſus, & circa eundem rectus & ordinatus ſervetur cultus; verum itidem in Juriſconſultis, Principum conſiliariis id flagito, ne quid contra ſcientiam

aut

aut conſcientiam dictando, ſuadendo decernant, ſaluti communitatis præjudicioſum, licet Principi gratum. Eorum enim omnium fide, res omnis geritur; illi oculi eccleſiæ, hi civitatis oculi, qui ſi quid concludendum, ſi leges ferendæ, à Proceribus, à Principibus viris in conſilium advocantur, ne quid præter honeſtum, & reipublicæ commodum conſtituatur. Nec aliam ob cauſam, latus Principis comitantur illi, quam ne Princeps loquatur pœnitenda, aut quid ſtatuat, quod in poſterum quaſi præcipiti animo factum, infectum velit. Secundum illud Caſſiodori, neſcit pœnitenda loqui, qui proferenda, prius ſuo tradidit examini.

Quoniam vero in anteceſſum dicendum, quid illud ſit, cui enumerati comites & ſatellites jungi commode poſſent, ne quid fiat præpoſtere, conſcientiæ libertatis pręſtantiam ſingulis ob oculos collocabo. Sic magis, duos ejuſdem legatos

legatos à latere illibatos, & illæſos volet, atque cupiet. Eſt ea libera & ſincera ejus, quod quis vel credit eſſe verum vel faciendum eſſe exiſtumat, juribus atque teſtimoniis fide dignis congruëter, (ut abſit error,) in dictis & in factis, teſtatio ſeu declaratio. Ut enim mens humana vel vincta vel ſoluta dicitur, prout vel cupiditatum freno regitur, aut gubernatur, iiſque expulſis omnia extra affectuum vincula poſita, clare contemplatur & perſpicue. Ita etiam libera dicetur eſſe conſcientia, quæ nullis vel intra ſe repertis malis, vel extra ſe poſitâ potentiâ, vinci aut vinciri ſe patitur. Ligata vero, quæ ab arbitrio, nutu, oculis cujuſquam pendet, à quo ſe coërceri, atque conſtringi, dum ſuæ eſt proditrix libertatis, patitur. Ut mera ſervilis ea ſit conditio, quæ alteri parere neceſſum, habet, quia vult; ſequiturq; alterius cujuſdam ductum, quia ſiclubet, dicendi, docendi, faciendi, omittendi abjecto exercitio. Miſerandus equidem

dem ſtatus, quo alius fingi non poteſt intolerabilior. Hoſtem & intus & foris quis experitur; ut nec Radamantus, nec Minos, nec Æacus, plus excruciari hominem valeant. Niſi per eos judices infernales ipſos conſcientiæ turbatæ tortores veneranda deſignaverit antiquitas. Saltem non gravior imminere poteſt adverſarius, quas quis eſt ipſe ſibi. Ex adverſo; quam dominicus, quam liberalis eſt ille ſtatus, qui libertatis dicitur, maximum Dei donum atque beneficium; eoque ſollicitius retinendus quo difficilius ſi neglectus, recuperetur. Dico eum eſſe divinam largitionem, munus Dei; quod ſoli Deo ſubſit conſcientiæ libertas, ab eoque ſolo pendeat. Ut ſi quid adverſum ejus dictamen agat, vel conetur homo, licet factum in ſeſe bonum eſſet, peccaret, dum ſemet alteri præter Deum, ſubjicit. Unde ſi libertatem illæſam conſervet, maximo fruetur privilegio, perpetuum duraturo, eumque tandem in ſtatum tranſla-

tranſlaturo beatū. Ab omni quippe exemptus erit metu & tamen omnibus metuendus, pericula nulla formidabit, ſupra omne malū, quod mundo imminet poſitus; quem impavidum ferient ruinæ. Non aliter atque Noachus alter, (dum forte turbant, & circumſtrepunt, Jabal, Jubal, atque Tubalcain, ridentes, quod grande navigium conficiat, quaſi etiam ſibi quęſiturus mare, quo naviget,) mediis in undis ſecurus, dum cæteri ingruente diluvio circumcurrunt ſalutis expediendę remedia inveſtigantes, ſed fruſtra. Hoc autem privilegium, obtinebit, quam maxime, ſi ſuæ libertati principio jungat, ut comitem perpetuum Prudentiæ virtutem. Dum enim uſus ſuâ libertate id quod faciendum eſſe dictis, & rationibus ſuadet, ita ſpernet hominum, maxime virorum Principum iras, ne tamen eas unquam temere provocet; incidet invitus in illorum odia, ne quærat. Quinimo, quâvis occaſione

ne non aliter ea declinabit, atque in navigando procellam. Sicque imitabitur bonum gubernatorem, qui ſicubi recta portum tenere nequit, mutatâ velificatione, eum aſſequi conatur. Sciet equidem id ſufficere ſi tramitis virtutis atque fidei nullibi exiſtat proditor, licet non ſemper eodem incitato procedat gradu. Et quos ad officia perducere non poteſt rectâ viâ, eoſdem obliquo quopiam flexu, inter decoris orbitas continebit; quoſque propalam monere non audet, per conſequentiam officii faciet memores. Idque exemplo Agricolæ Tacito in ejus vita, laudatiſſimi; qui prudentibus conſiliis, ſpretis aſperis, Domitiani Imperatoris genium, in iram præcipitem leniebat. Unde ſi quid ſuadendum, ſi præcepta viris Principibus ſuggerenda ſaluberrima, placidâ imprimis oratione ſua temperabit. Placidâ, inquam; quod potentes habeant delicatum palatum, ut vix quicquam illis apponi poſſit, aut tra-

di modo fieri id honeſte poſſit, non melle litum, non ſerico obductum. Eſt enim poteſtas res quæpiam, quę admoneri docerique nolit, etiam caſtigationem ęgre ferat. Surdas habent aures quandoque magnates, & ſecundum illud Pſalmiſtæ nolunt intelligete, ut bene agant. Fabulas ſibi narrari cenſent, dum de æquitate, juſtitiâ, temperantiâ, denique extremo judicio quis verba facit, licet apoſtolorum eſſet erudıtiſſimus. Reformidant audire rationem, ne potentiam quam habere ſibi imaginantur, ea impediat, illique ſervire cogat, quod decorum eſt & honeſtum.

Verum quem comitem ſecundo junctum volui conſcientiæ libertati, *conſtantiam* potiſſimum hic commendabo. Maxime, quod rari inveniantur, qui Regibus libere loqui audeant, adeoque periculi formidine ad illicita connivere ſoleant. Quo nomine Demetrius Phalereus merito Ptolomæum hortatus eſt libros evol-

evolveret, quod iis ea continerentur, de quibus ne quidem amici Reges auderent admonere. Ut niſi, qui monet conſtantiâ ſit munitus, ſuæ conſcientiæ non conſtet libertas. Hęc enim ſola dictat intrepide, quod dictandum ſuadet recta ratio; quæ potentiam nullius reformidat, ut etiam nullius ſervilis ſententiæ unquam cuiquã ſit auctor. Pro tuendo ſuo jure, cujuſque ſpernat offenſionem, inimicitias flocci faciat. Hujus rei, ſi quis deſideret exempla innumera, tam Gentilium, quam Chriſtianorum, inter illos agmen ducet Philoſophiæ activæ inventor, oraculo Delphico mortaliũ declaratus ſapientiſſimus. Qui cum intrepide unitatẽ divinam, contra Gentilium innumeros Deos aſſeruiſſet, in judiciũ propterea venit capitis. Hunc enim, Socratem deſigno, Melitus incuſavit, ſtatuit in judicio Anytus, oratione inſectatus eſt Lycon, Athenienſes damnaverunt, unde cimviri vinciri juſſerunt, carnifex necavit.

Aſt ille accuſantem deſpexit Anytum, delatorem contempſit, Cauſidicum Lyronem deriſit, adverſus Athenienſium decretum, aliter ipſe decrevit. Vincientibus ipſum undecimviris, præbuit corpus, animum minime præbuit. Quique Athenienſium omnium erat præſtantiſſimus, cicutam imperterrito ſumpſit animo. Et quem Athenienſes damnarunt inviti, (nam peracto negotio pœnitentiâ ducebantur) is diem ſuum obire maluit, quam ſententiam in pejus mutare. Maxim. Tyrius Sermon. 39.

Subſequantur juriſconſulti Romani qui memores honeſtatis, atque pietatis, nunquam ſua reſponſa vel ſententias ad nutum potentiorum, aut virorum Principum accommodarunt, & divinis donis erecti, infractis ſtabant animis; hocque fuere ſuæ conſtantiæ præmium conſecuti, vel ut malitiam multorum ſiſterent, vel ut exempla præberent virtutis; quibus alii mori, potius vitam,

tam, quam bonam conſcientiam amittere maluerunt. In priorum numerum referatur Servius Sulpitius, qui Julii Cæſaris nimiam dominationem in multis eſt moderatus. Accedat & Nerva JC. quem Tiberius Cæſareæ tyrannidis inimicum, revereri fuit coactus. Quin imo Caſſium Longinum pro Republica dimicantem exhorruit, monſtrum humani generis, Imperator Nero. In ordinem poſteriorum recipiatur idem Caſſius Longinus, qui adeo conſtantis fuit animi, ut potius in exilium ſe paſſus ſit ejici, quam ut Neroni adblandiretur. Idem quod accidit Ulpiano per Helogabalum à republicâ ſummoto. Huic ſuccedat magnus ille Papinianus juris aſylū, & doctrinæ legalis theſaurus, quem Antoninus Caracallâ vix dum annos 30. natum, non alio quam integritatis & conſtantiæ nomine trucidari juſſit; ſcil. quod parricidio fratris Getæ innocentiſſimi nollet Patrocinari.

De Q. Scævolâ Augure id refertur, cum Sylla occupatâ urbe C. Marium hoſtem declarari volebat, idque ſe effecturum minitabatur, ſolum Scævolam interrogatũ reſpondiſſe. *Licet mihi agmina militum, quibus curiam circumdediſti oſtentes: licet mortem identidem miniteris, nunquam tamen efficies, ut propter exiguum, ſenilemque ſanguinem meum, Marium, à quo Urbs & Italia conſervata eſt, hoſtem judicem.* Et quæ alia apud *Chokier. in Theſauro Politico, libr. 3. c. 13. & ſeqq. & Commentatorem Bernartium in Boëtium, occurrunt exempla.* Scævolâ non inferior Helvidius Priſcus ad quem cum Veſpaſianus Imperator miſiſſet, ne in Senatum veniret. Penes te inquit eſt, ne me Senatorem eſſe patiaris; quamdiu enim loco me non moves, eſt in curiam mihi veniundum. Age; at ingreſſus, taceto, inquit. Ne me roga, & tacebo. At eſt mihi rogandum. Et mihi dicendum, quod rectum putavero. Verum, ſi dixeris, occidam

„ cidam te, Quando ego tibi dixi,
„ me immortalem eſſe; tu tuum fa-
„ cies, ego meum: tuum eſt occide-
„ re, meum mori non trementem.
Apud *Arrian. in Epict. diſcept. libr.* 1.
c. 2. Eandem conſtantiam adhibuit
Boëtius Philoſ. & poëta Chriſtia-
nus. Qui diu in carcere maceratus,
tandem à Theodorico Gothorum
rege, Ticini eſt interfectus. ann. 526.
Sic itidem vir Graviſſimus Thomas
Morus, Angliæ quondam Cancel-
larius, cum regis Hendrici octavi
matrimonium, repudiatâ Cathari-
nâ, & alterâ ſuperinductâ, probare
nollet, nec editæ regis conſtitutio-
ni, in quâ rex poſt Chriſtum, ſupre-
mum Eccleſiæ Anglicanę caput di-
cebatur aſſentiri; carceri Londini
per 15. menſes incluſus, morti ad-
judicatus, & ſecuri percuſſus fuit.
an. 1535. 2. Jul. Eraſm. libr. 19.
Epiſt. 9. 10. 26.

Et ut ad ſacram paginam me
conferam, (ne de fidelibus aliis
martyribus novi teſtamenti ſermo-

nem inſtituam) ſunt ibidem exempla Johannis Babtiſtæ, Pauli, aliorum apoſtolorum, qui vel periculo capitis errores potius, & vitia damnarunt, quam ut hypocritis, & Chriſti hoſtibus tam occultis quam apertis, vel minimo in negotio illicito gratificarentur. Nec deſunt rationes quibus hęc ſuadenda conſtantia in dictis & monitis & præceptis adhibenda. Nam ſi vir Princeps eſt bonus, & virtutis amans, non ægre eundem laturum credendum eſt quod admoneatur libere. Ut enim qui veritatem profert à peſſimis odio habetur ſecundum illud comici, veritas odium parit: ita qui optimus eſt Princeps amplectetur monitorem ſaluberrimum. Bonitatis namque indicina eſt, ſi qui corripitur, diligit corripientem; exemplo regis prophetici. Juſtus me reprehendat, & erit benignitas, me admoneat, & erit unguentum mei capitis. Pſalm. 141. v. 5. Id quod prudenter ſuaſit Tiberius Imperator Mauritio

Mauritio ſucceſſori, teſte Niceph. *libr.* 8. *hiſt. Eccleſ. c.* 6. ut objurgationem atque magiſtratum, plus quam aſſentationem complecteretur. Hoc ipſum ſuo exemplo probavit Rex Lyſimachus qui non aliâ de cauſâ Philippidem comicum Atheníenſem ſummâ complexus eſt benevolentiâ, quam quod libere & ex animi ſententia loqueretur. Plutarch. in Demetr. Hieronem quoque dicere ſolitum refert Plutarchus in Apophteg. neminem qui libere loqueretur ſibi importunum eſſe. Quo etiam nomine Trajanum laudat Plinius, quod apud eum non prima, ſed melior vinceret ſententia. Quod ſi quis ex adverſo, Principem nactus eſt peſſimum; apud quem potentior eſt quavis ratione, voluntas, eo magis eundem admonebit, quo oſtendat ſe cane pejus & angue odiſſe vitia, ſive vilioribus ſive potentioribus inſideant, non habitâ ratione perſonarum, neglectâ hominum facie. Seque paratum eſſe

plus obedire Deo, quam hominibus male ſanis. Cogitabit eſſe ſui officii, patriæ, adeoque egregio publico prodeſſe; quod effectum dabit, ſi quod faciendum eſt Principi, per modum conſilii intrepide ſuggeſſerit. Nam ſi conſiliarius eſt Pater Principis, ſic loquente Juſtiniano, §. 4. *Inſtit. quibus mod. ſolv. patr. poteſt.* Si pars corporis ejus. *l. quiſque Cod. Ad l. Jul. Majeſt.* Quidni ei ſuadebit ne aut rempublicam peſſundet aut in miſeriarum abyſſem ſemet ipſum immittat. Miſeria quippe illa maxima eſt Imperatoris, ſi apud eum vera reticentur; ſi cum ipſe publice cernere, ambulare non poſſit, deſint, qui illi præluceant, qui illum roborent. Sic ut cum Rehabeamo, auſcultanti aſſentatoribus, certo certius illi ſit pereundum.

Et quo difficilius eſt quē hic probe ſuo fungi officio, quod res ſit periculi plena, eo etiam erit glorioſius, ſi quiſpiam id probe curaverit; eo præclarius, quod pauci reperiantur, qui

regibus

regibus libere audeant loqui. Eo utilius, quod quis hortando audacter, admonendo intrepide, ſecundum dictamen conſcientiæ, grande præmium ſit accepturus, è manu Dei largitoris & remuneratoris ſummi. Præterquam enim quod tranquillitatem conſcientiæ experiatur, præmium inæſtimabile, ſecundum quod melius eſt, pro veritate pati ſupplicium, quam pro adulatione, ferre beneficium: etiam quandoque liberationem illi pollicetur Deus, exemplo Eliæ, Danielis, trium juvenum in medias flammas conjectorum; Petri aliorumque piorum. Aut ſi illum cruciatibus ſubditum velit auctor naturę, viventé conſolabitur, eumq; conſortio Angelorum honorabit. Exemplo ſit Stephanus Diaconus, qui cum libere per Spiritum loqueretur, os geſtabat angelicum. Omnes enim in conſilio viderunt ejus faciem, tanquam faciem Angeli. Animam habebat in cœlo, ibique ſuavia & jucunda, interim

dum corpus infeſtant inimici, experiebatur. Intrepide ſanguinem obtulit quod præ oculis haberet regem & bravium: vidit enim ille Dei gloriam, & Chriſtum ad dextram Dei; vidit, illum, qui moriturũ magnificabat, qui decorabat æternum.

Quis non itaque ſi bonus ſi ſyncerus, conſcientiæ libertatem voce & ſcripto tueatur conſtanter? Quis non renitentibus hominibus male ſibi conſciis, quibus etiam ipſo viſu terribilis erit, non quæ grata, ſed quæ optima conſuluerit, & dictaverit? Se Veronenſẽ, licet nihil profecerit, per omnia exhibuerit; à Placentinis & Laudenſibus ſeceſſum faciendo. Qui omnes juſto Dei judicio cum magnus & glorioſus ille dies venerit, forte & in terris, veluti piaculares, odii publici, omniumque bonorum cadent victimæ. Eos enim cum univerſis labiis doloſis, peſſimis illis prophetis qui pulvillos ſuunt ſub axillis magnatum, quoſque merito cauſa reſpicit, dum ſilentio, uti mu-

ti

ti canes errori favent. *capit. Carol. & Ludov. l.* 7. *c.* 28. diſperdet dominus, eorumque conſilia, & cogitationes diſſipabit. *Pſalm.* 2. *&* 11.

E contrario, juſtos & candidos illos monitores atque conſiliarios ſui cultus, juſtitiæ, communis boni defenſores, in ſui ſuſcipiet tutelam atque clientelam. Saltem perpetuæ & immutabilis erit veritatis illud dictum pſalmiſtæ. Juſtus erit, tanquam lignum quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit, in tempore ſuo, nec defluet folium, & omnia quæcunque fecerit, proſperabuntur. Ejus memoria erit grata & benedicta, nomen autem impiorum, de terrâ delebitur, atque compruteſcet. *Prov.* 10. *v.* 7.

Verum quo magis innoteſcat Theologi officium in reprehendendo, increpando, conſcientias hominum, in quibuſcunque cauſis informando, quod ægre fert mens mala, malus animus, demonſtrabo paulo

uberius, eundem hæc agendo, nihil præter officium agere. Non aliter enim atque JC. verſatur æque circa ſacra, atque profana; in quantum circa illa omnia jus exercetur. Quo nomine juriſprudentia, conſideratur, ut rerum divinarum atque humanarum notitia. §. 2. *Inſtit. de Juſt. & jure.* Ut tamen nemo dixerit juriſconſultum Theologum agere, aut in Theologiam irrumpere. *Alberic. de Nupt.* 1. *c.* 12. *& ſeqq.* Ita etiam Theologus non tantum æterna, ſed & temporalia cognoſcit; nec tantum res divinas contemplatur, verum etiam rerum humanarum conſiderat caſus. Scilicet in quantum omnium hominum actiones, quas ut Chriſtiani exerunt, ad divinæ veritatis trutinam, appendit, adeoque ad ſacrarum litterarum normam infallibilem examinat. Inquirendo num in conſcientiâ licitę, num illicitæ, num Deo gratæ, num inviſæ. Ut tamen nemo dixerit, eundem prophanis ſemet immiſce-

re

re negotiis, aut ſecularia tractare, aut ab officio deviare, dum dicta & facta hominum expendit. Neque enim ea quaſi Politicus, quaſi Juriſconſultus; ſed quaſi eccleſiæ doctor, fidelis Dei miniſter, cujus eſt omne Dei conſilium de ſalute hominum patefacere, probat vel improbat. Nec declarando, quid in foro ſoli juſtum & injuſtum, verum quid in foro poli faciendum, quid omittendum. Non quid Cæſar dictet, ſed quid Chriſtus; non quid magiſtratus, qui in externum hominem Imperium habent, ſed quid dominus Deus; in quantum ei ſubſunt omnium conſcientiæ, etiam aliquo reſpectu omnium actiones. Hinc jus ſacrum, ad quod omnia refert, non examinat actiones civium, ut in Politicâ verſantur ſocietate, ubi finis eſt, externa illa quies atque ſalus: verum ut eorundem actiones tendunt atque dirigendæ ſunt, ad finem beatitudinis æternæ: *Ludov. Gomeſ. in c. ut animarum, tom. 5. Rep. jur. can.*

n. 2. p. 120. Et licet eædem actiones civili ſubſint judici, non tamen ſic eas examinat Theologus, ne in jura magiſtratus involare ſit dicendus. Quique hic neſciunt diſtinguere, inter hominem interne & externe conſideratum; mundanum, & ſpiritualem; adeoque inter duplicem illam beatitudinem, Politicam, quę nobis cum omnibus hominibus in civili ſocietate communis eſt, & ſpiritualem illam, eccleſiaſticam, quæ nobis cum eccleſię Chriſti membris eſt communis, næ illi ſtupidiſſimis annumerandi, inque Theologiæ Chriſtianæ principiis, tanquam in mediâ luce, cæcutientibus. Ut qui neſciunt, aliud eſſe naturæ, aliud gratiæ regnum, & in utroque diſtincta capita, ſubditi, media & fines differentes.

Ignorant iſti non tantum curam primæ tabulæ decalogi Theologo eſſe demandatam, ſed & ſecundæ. Ut merito dicta & facta, in ſingula poſtremæ tabula præcepta impin-

gen-

gentia, ad examen eccleſiaſticè & ſpirituali modo revocet, quà publicè quam privatim. Unde nemo dixerit eccleſiæ Miniſtrum limites excedere, ſi ad 5. decalogi præceptum, pro concione, ſubditorum erga ſuperiorês officia explicet, ſervorum in dominos, liberorum in parentes, adeoque omnibus illis obedientiam inſtillet, & ſicubi devient, reprehendat. Ut nec præter officium faciat ſi vice verſâ ex naturâ correlativorum officia ſuperiorum erga inferiores deſcribat, uti par eſt. Exemplo Pauli 1 *Timot.* 2. Qui id officii Timotheo & Tito incumbere ſtatuit. & 1 *Timoth.* 6. *Titum* 2. 3. *Epheſ.* 6. *Coloſſ.* 4. *v.* 1. Sic ex. grat. ſi cauſa incidat matrimonialis, ad 7. præceptum examinanda, quę fatentibus Theologis & Juriſconſultis Proteſtantibus, eſt etiam fori Politici, non egredietur Theologus ſuum officium, ſi eandẽ examinet in conſcientiâ, adeoq; non erit eo nomine reprehendendus. Quin imo ipſi viri Politici,

Politici, Rectores urbium, hæc ſuo exemplo probant, Theologos de talibus caſubus judicare poſſe & debere, dum quotidie eoſdem ſuper iis conſulunt, eorumque deciſionibus ut plurimum ſtare conſueverunt. Unde ſi ad inſtar Johannis Babtiſtæ quemque ratione 7. præcepti reprehendendum cenſeant, in magiſtatuum officium non involabunt, quod non politice, verum eccleſiaſtice, de caſubus illis hominum judicent: quemadmodum una eademque res diverſo jure cenſeri poteſt. *Arg. l. 5. D. quod cujuſ. Univ. nomin.*

Quod ſi quiſpiam nihilominus adeo affectibus ſit occæcatus, ut id videre nolit, aut non poſſit, is mihi Amaziæ Regi Judæ à divinis mandatis devianti erit accenſendus. Qui cum per Prophetam ſui officii fuiſſet admonitus, id ægre tulit; etiam Prophetæ, quod noſtris temporibus homines peſſimi Miniſtris eccleſiæ oggerunt, objecit; *quis te in*

in Regis conſtituit conſiliarium. 2. *Cronic.* 25. *v.* 16. Quaſi monendo Propheta, quod ſui erat officii, in jura Politicorum involaret; adeoq; negotiis Regiis politicè ſemet immiſceret.

Non ideo tamen poterunt aut debebunt eccleſiæ miniſtri ſuo deeſſe muneri, quicquid oblatrent peſſimi. Qui dum non faciunt, quod ſuum eſt, ęgre ferunt Eccleſiæ miniſtrum agere, quod eſt officii. Neq; enim ſunt ignari ſe eſſe vocatos, adeoque in conſcientiā obſtrictos, (ni velint iram divinam in ſe provocare, ni velint teneri, animarum nomine, quæ illis tacentibus ſunt perituræ; ni velint canibus mutis adnumerari; ni velint cauſam Dei, libertatem eccleſiæ prodere,) ut ſingulorū dicta & facta illicita, iniquitatis arguant, quod improbandum eſt, improbent liberè, nec ullibi conniveant, aut diſpenſent, ubi Deus connivendum aut diſpenſandum eſſe prohibet. Nullibi de jure divino, quicquam remittant, niſi ini-

quis

quis illius juris diſpenſatoribus, & adminiſtratoribus velint adnumerari. Hinc eccleſię membra quæ pari hic jure cenſentur, ſicubi impingant, admonebunt, quandoque objurgabunt, peccata ſingulis indicabunt, ligonem ligonem, & ſcapham ſcapham, appellabunt. Sicque vitę ac morum regulam unicam, divinum verbum, præcepta & monita divina, ſingulorum conſcientiis, atque factis, applicabunt, idque ſacris ſcripturis congruenter. 1 *Timoth.* 4. *v.* 2. *&* 3. *v.* 16. *Galat.* 3.

Ut ita Deum loquentem agnoſcant auditores, & de ſe haberi ſermonem, intelligant. *Matth.* 21. *v.* 45. 1 *Corinth.* 14. *v.* 25. Licet hinc malorum animi excrucientur, licet repleantur excandeſcentiâ, licet findantur cordibus, fremant dentibus, & neſcio quænam in fideles Chriſti ſervos moliantur. 1 *Reg.* 18. *v.* 8. *Apocalyp.* 11. *v.* 10. *Amos* 7. *v.* 10. *Luc.* 4. *v.* 28. *&* 20. *v.* 19. *Actor.* 5. *v.* 28, 33. Hęc quippe docendi

dī

di methodus efficax maxime; quæ non tantum aures perſtringit, ſed etiam corda afficit.

Ut enim attentum quis non habet auditorem ad ea, quę duntaxat in genere proferuntur; ita nec afficiuntur corda, nec ad medullam animi penetrari ſolet, niſi errata ſingulorum, peccatorum ſubjiciuntur. Hanc concionandi, hortandi, reprehendendi, increpandi Methodum ſervavit concionandi peritiſſimus, benedictus noſter Salvator. *Johann.* 6.*v.*26.*&* 20.*v.*19. ſervavit ejuſdem fidelis præcurſor Johannes Baptiſta. *Luc* 3. *v.* 7. ſequuti fuere deinceps Chriſti Apoſtoli, conſtanter. *Actor.* 2.*&* 17. *v.* 23. 2 *Corinth.* 5. *v.* 11. Et nihilominus, huic docendi methodo infenſa eſt ſeculi impietas, nec eam ferre poterunt turbatæ peſſimorum conſcientiæ. Ut vel hoc ſolo judicio eam eſſe divinam, atque inſtituti divini liceat colligere, quod in eam tanto impetu inſurgant, qui nequiſſimi mortalium. Verum quo illi

illi methodo magis adverſi ſunt mali, quibus diſplicere ſtudent boni; eo gratior, illa apud omnes pietates auctores eſt futura. Cui enim non illa docendi & adhortandi ratio placeret, quam Deus Opt. Max. ſępe & frequenter, ſuis prophetis, etiam ſub capitis & animę periculo, adeoque ut maxime neceſſariam, ſemper & ubiq; adhibendam commendavit, & inſtillavit. *Extolle*, inquit, *vocem, & indica populo meo defectionem ipſorum, filii hominis fac notas urbi Hieroſolymarum ſuos defectiones.* *Eſai.* 58. *v.* 1. *Ezech.* 16. *v.* 2. Qua ratione *Micha.* 3. *v.* 8. exclamat. *Repletus ſum à ſpiritu Jehovæ, judicioque & potentiâ, ad judicandum Jahacob defectionem ipſius, & Iſraeli peccatum ipſius.*

Nec mirum, cum hunc in finem ſanctum ſpiritum poſtremis miſſum temporibus uberiorem in modum, ſit indicatum. *Nam quum ille venerit, arguet primum mundum de peccato, Johann.* 16. *v.* 8.

Unde

Unde (quod etiam hanc docendi methodum divini eſſe inſtituti ſatis ſuperque arguit,) ſi qui viri Principes eam contemptui habuerunt, apud quos vera loqui, periculoſum eſt, ut forte ſemet exemptos exiſtumarent, eoſque exemptos depredicarent gnatones aulici, infideles ſuo Deo miniſtri, qui magnatum axillis pulvillos ſupponunt, iiſque in peccatis adblandiuntur; ut ſi inquam, eam contemptu; habuerunt, adeoque per fideles Dei miniſtros, qui Veronenſes agunt, ſe non increpari fuerunt paſſi; eoſque à quibus admoniti fideliter odio perſequebantur Vatiniano, peculiari Dei judicio, vel puniti ſunt, vel perierunt. Quoque terreantur magis oſores miniſtrorum Dei; eorumque admonitionum fidelium contemptores, exempla quorundam in medium proferam; inter quos dux gregis erit Jeroboamus, qui cum manum ſuper altari extendiſſet, officium hac in parte egreſſus, juſſiſſetque ut

ut virum Dei, qui adverſus illum fuerat vaticinatus, apprehenderent, hâc è veſtigio pœnam fuit affectus, ut ejus manus, quam adverſum prophetam extenderat, exaruerit. 1. *Reg.* 13. *v.* 4. Succedat Uzzias, non tamen per omnia malus; qui, irâ incitatus quod eum ſui officii Sacerdotes admonuiſſent, adeoque ſpretâ admonitione nihilominus in perverſo ſuo perſeverans propoſito, leprâ fuit percuſſus, omnique imperio per ſuos privatus. 2 *Paralip.* 26. *v.* 17. 18.

Subſequatur Achab Rex Iſraelis, ad committendum malum divenditus, qui cum falſis auſcultaſſet falſis Prophetis (quod ſecundum animum Regis loquerentur, adeoque non judicabantur officium egreſſi fuiſſe, aut politicis ſeſe negotiis intermiſcuiſſe) Micham vero Prophetam domini, carceribus mancipaſſet, quod in bellum eundem non eſſe dixiſſet, (quę res forte videri poterat Politica, non tamen erat, quia non Politice

tra-

tractata) in bello adverſus Syrios miſere periit. 2. *Chronic.* 18. Nec prætereundum exemplum Joaſi regis Jehuda, qui quamdiu auſcultaret Jehojadæ ſummo Dei ſacerdoti bonus & mitis extitit in ſuos. Verum poſtquam aſſentatoribus obſecundaſſet, ad multa mala ſe convertit; nec tamen impune. Cum enim Zachariam prophetam Dei à quo ipſe, & univerſus populus fuerat reprehenſus lapidibus, obrui curaſſet, ejus ſervi propter hoc ipſum factum in Prophetam, (licet male) Regem interfecerunt; etiam bello extero miſere populus eſt vexatus. 2 *Paral.* 24. *v.* 20. Quid quod Amazia, cum Prophetam percutere voluiſſet, à quo fuerat reprehenſus, eique dixiſſet *quis te in Regis conſiliarium elegit*, poſtmodum in conjuratione quâ ſubditorum propter eam ipſam cauſam miſere perierit. 2. *Paral.* 25. *v.* 15. *& ſeqq. & in fin.*

Etiam Manaſſe, eo quod non audiret prohetis verbum Dei ipſi an-

nunciantibus vinctus Babylonem adductus aliquamdiu in carcere vitam traxit, donec ad ſe reverſus, Dei manum in ſe agnovit. 2. *Paralip.* 33. *v.* 10. 11.

Agmen claudant viri Principes quoad cætera pientiſſimi, inter quos primus eſt Jehoſaphat, cujus claſſis maritima naufragium paſſa eſt, quod adverſus monitum Prophetæ Eliezer, fœdus cum impiis iniviſſet. 2. *Cronic.* 20. *v.* 37. Alter eſt Rex Joſia, cui cum eſſet denunciatum per Prophetam, ne adverſum regem Ægyptiorum expeditionem ſuſciperet, nec Prophetæ id ei Dei nomine annuncianti auſcultaſſet, in prælio ſagittis vulneratus, occubuit. 2 *Cronic.* 35. *v.* 21. 22. 23.

Quod cum viris pientiſſimis evenerit, quale maneat fatum homines prophanos & impios, quibus in more poſitum, cum Sacerdote frequenter contendere, ipſi viderint.

Ne vero quicquam deſit ad explicatio-

cationem modi reprehendendi & admonendi eccleſiaſtice, divinitus fidelibus Dei ſervis præſcripti, è ſacro Codice, demonſtrabo, omnis generis facta peccaminoſa, omniumque omnino perſonarum, cognitioni, ac cenſuræ miniſtrorum eccleſiaſticorum, ſubdita fuiſſe. Quinimo eoſdem, ad hoc ipſum obligari ut in ſingulorum delicta, inquirant, eaque emendari curent quo regnum gratiæ promoveatur, & vita ſpiritualis reformetur in melius.

Per partes autem omnia deducam vitia, ſicque inductionibus partium aphoriſmus erit formatus.

Sunt itaq; peccata varium generum; alia ſunt clandeſtina, alia commiſſa propalam. Nec intereſt à magiſtratibus in officio delinquentibus, an à ſubditis; à viris Principibus, an à privatis hominibus ſint commiſſa; licet in increpãdi modo interſit multum, & intereſſe debeat. Nam quæ commiſſa palam, etiam propalã ſunt reprehendenda, quia publicum da-

tum eſt ſcandalum. *Luc.* 20. *v.* 45. Ita Johannes Baptiſta, ſingulorum vitia reprehendit, etiam ſatis acriter. *Luc.* 3. *v.* 7. 8. 9. 10. 11. 12. *&* *ſeqq.* Neque unquam negotiis ſeſe immiſcuit ſecularibus, licet in ſtatu & officio ſecularium quid reprehenderet, adeoque cuique vivendi præcepta, congruenter cujuſque conditioni, præſcriberet. Sic itidem Paulus Apoſtolus non ſine acrimoniâ nonnullos inter Corinthios duriter perſtrinxit, & cenſurâ notavit. 2 *Corinth.* 13. *v.* 10. Etiam non erubuit, licet in vinculis eſſet, Felicem Præfectum, libidinibus deditum, ſic alloqui, ut non ejus animus refocillaretur, ſed conſcientia exulcerata, terreretur: diſſeruit enim de juſtitiâ, continentiâ, & futuro judicio. *Actor.* 24. *v.* 24. *Chryſoſt. tom.* 4. *in Acta Apoſtol.*

Quid quod viri Principes à Prophetis fuerint moniti ſæpe & frequenter ſi in vitâ communi delinquerent. Quo nomine Elias toties

Acha-

Achabum regem increpavit, ut ab eo pro inimico fuerit habitus. 1 *Reg.* 18. Et Amaziam Propheta Dei reprehendit, quod idolis thurificaret. 2 *Cronic.* 25. *v.* 14. 15.

Etiam per Nathanem notatus eſt Rex Propheta David, in negotio ſatis odioſo, Batſabæ & Uriæ. 2 *Samuel.* 12. *v.* 1. *&* *ſeqq.* *v.* 12. Nec minus cenſuram in vitia ſtrinxerunt viri Pientiſſimi, licet eſſent totius populi, vel virorum Principum, & quidem publica; peccata nationis, peccata ſtatus, peccata regiminis. Samuel equidem propheta, populo & Primoribus Iſraelitarum non tantum Idololatriam, ſed &, quod Regem ſibi petiiſſent, quod peccatum erat Politiæ, vitio vertit. 1 *Samuel.* 7. *v.* 3. *&* 8. *v.* 4. 5. 6. 7. *&* 12. *v.* 19. Cumque in bello adverſus Amalekitas, à Saulo, & univerſo populo, peccatum eſſet, id indicavit Samuel, etiam Regem reprehendit eo nomine; qui licet impius id tamen ægre non tulit. 1 *Samuel. cap.*

 15. *v.*

15. *verſ.* 9. *& ſeqq. & verſ.* 25.

Negotium equidem Politicum erat populi Iſraelitici luſtratio, atque numeratio, quam David per Joabum fieri curaverat. Quia tamen illi facto, ſuperbiæ, & elati animi vitium inerat, per Prophetam Gad rex David fuit admonitus, illique denunciatæ plagę. 2 *Samuel.* 24. *v.* 1. *& ſeqq. v.* 11. 1 *Cronic.* 21. *v.* 9. 10. 11.

Publicum dici debebat negotium, & res politica, bellum in gentem quam ſuſcipere, vel non ſuſcipere. Quia tamen quandoque in belli cauſâ, peccatum latet, non vitio verſum fuit prophetis, ſi illud detexerint, & in nomine Domini denunciaverint, in bellum eundem non eſſe. 2 *Cronic.* 18. Nec dubium eſt, quin fœderum jura ſint publica, ſtatum publicum ſpectantia; & tamen Elieſer filius Dodava, de Mareſa, cum Jehoſaphat, fœdus cum iniquo Rege Ahaſiahu iniviſſet, adverſus illum prophetavit, ac denunciavit

Deum

Deum illi fœderi non eſſe benedi-ctururum. 2 *Cronic*. 20. *v*. 35. 36. 37. Quid multa commemorem, vet. teſtam. exempla? Vel Petrus Apo-ſtolus in proſcenium adducatur, qui non tam privatorum, quam Primo-rum atque Procerum vitia, quam publicum Tribunal incuſavit, & a-cerba voce perſtrinxit: *Vos dominum gloriæ, manibus ſceleratis, cruci affixum, interemiſtis*. *Actor*. 2. *v*. 36. & 3. *v*. 13. & *ſeqq*.

Ut hæc fuerit conſuetudo fideli-um Dei ſervorum; quæ poterit eſſe exemplo, ut omnium vitia & omnis generis, & omnes, adhibito modera-mine, tanquam patres ſpirituales, eccleſiaſtice, congruenter verbo Dei, notent, eaque correcta velint. *Je-rem*. 1. *v*. 18. 19.

Neque quis exiſtumet, ſervos Dei officium egredi, ſi peccata publica, ſeu Politiæ, adeoque univerſi popu-li examinent aut exagitent; quia & ipſi Proceres, viri Principes, licet peſſimi, in auxilium & conſilium

advocant viros Pientiſſimos, fideles Dei miniſtros, dum plagę ingruunt, rogantque ut illi apud Deum intercedant pro peccatis populi, deque remediis placandi Deum cogitent. Ut Eccleſiaſtæ non ſint reprehendendi, ſi peccata populi deſignent, quæ divinam iram provocant; ſi plagas aununtient, propter Nationis delicta, metuendas. Nam qui avertendis malis, ſic volentibus viris Principibus, incubare debent, eoſdem etiam ſollicitos eſſe oportet, circa malorum principia, quibus ſublatis, pœnę ceſſabunt delictorum; adeoque conſilia eccleſiaſtice ſuggerere ſaluberrima ne unquam miſeriæ in nos ingruant. Non aliter atque provido incumbit Medico, non tantum morbo externe medicinam adhibere, verum & morbi cauſam radicitus exſtirpare. Pręſtat enim in tempore malo adverſari, quam poſt vulneratam cauſam fruſtra remedium quærere. Equidem illaudabile factum illud Pha-

raonis

raonis qui abigebat à ſe Moſem & Aharonem, Dei miniſtros, quaſi aliena curantes, quaſi officium egreſſi, dum illum ſui admonebant officii. *Exod. c.* 9. *v.* 1. 2. *& ſeq. & v.* 27. *& c.* 10. *v.* 28. Verum poſteaquam plagas immiſiſſet Deus eaſque multiplicaſſet, eoſdem revocandos cenſuit, ut eſſent apud Deum interceſſores. *Exod. c.* 8. *v.* 8. 9. *v.* 28. *& c.* 10. *v.* 16. 17. Quod ſuo comprobavit exemplo Jeroboamus cujus manus cũ exaruiſſet quia non auſcultaverat Prophetæ interminanti; poſtmodum ad eundem, ut deprecatorem confugit. *Nunc*, inquit, *deprecare faciem domini Dei tui, & ora pro me, ut revertatur mea manus, ad me.* 1 *Reg.* 13. *v.* 4. 5. 6.

Verum, (quod dubium ſupererat examinandum) an non Eccleſiarum Miniſtri ſi Populum ejuſque Primores increpent propter peccata communitatis, propter aliquam labem regimini adjunctam Majeſtatis læſæ fient rei?

Reſpondeo 1. licet non ſemper

peccata populi, vel procerum ſint palam reprehendenda, ſi tamen id exigant ipſa vitia, palam commiſſa; nihil imputandum Miniſtris eccleſiarum licet forte iſtâc ratione Procerum diminuatur auctoritas. Id quippe fieret occaſione malitiæ ipſorum, cui id imputandum, non fideli eccleſiæ Miniſtro, hortanti fideliter. Nihil equidem improbandum viſum in Samuele Prophetâ, quod Regem Saulum vitii in prælio commiſſi nomine increpaſſet, licet ſibi propter admiſſum peccatum metueret Rex, ne contemptui eſſet populo Iſraëlitico. 1 *Samuel.* 16. *v.* 30. Nec infenſus Nathani fuit David, aut eum diminuti Regii juris contemplatione incuſavit, quamvis ab eo graviter fuerit admonitus. 2. *Samuel.* 12. Nec ægre tulit Rehabeam, quod Semaja eundem ab iniquo propoſito, belli in cæteros Iſraëlitas ſuſcipiendi, quod ab eo deſciviſſent, retraxerit. 1 *Reg.* 12. *v.* 21. Quia qui vitia magnatum reprehendit,

eadem odit, & proſtituit, non homines, vitio laborantes, quos dum ad meliora hortatur, eo gratiores ſubditis reddere conatur.

Reſp. 2. Vitia virorum Principum improbare, facta publica, etiam univerſi populi, conſuetudinem pravam, licet inveteratam, iniquitatis incuſare, ſecundum verbum Dei; modo id fiat decenter & circumſpectè, non excedit officium eccleſiæ miniſtrorum. Tantum abeſt, ut ejus facti intuitu majeſtatis læſæ crimen incurrerent. Niſi quiſpiam viros pientiſſimos, tam veteris quam novi teſtamenti, iſtius criminis fecerit reos, vel ipſam divinam culpaverit ordinationem; quæ hanc docendi & increpandi methodum, ſuis miniſtris præſcripſit.

Præterquam, quod nequeat majeſtatis crimen ab illis committi qui in negotiis alterius regni cui nihil commune cum hujus mundi Regimentis, ſunt occupati. Quique reſpectu & contemplatione miniſterii

eccleſiaſtici dum verſantur in officio eccleſiaſtico, Chriſto ut eccleſiæ capiti, & Principi regni gratiæ, ſubſunt, id cupiunt auctum & promotum. Quique illius Regni ſpiritualis, quaſi Paſtores, quaſi miniſtri, ſunt ſubjecti, non quaſi partes regni cujuſdam ſecularis aut Politici conſiderati. Apoſtoli, & officiales eo ipſo, non hominum, aut ab hominibus, ſed Chriſti appellati ſunt miniſtri. *Galat.* 1. *v.* 1. *Philipp.* 1. *v.* 1. Ut ſi hominibus placere ſtudeant, læſæ majeſtatis divinæ crimen incurrant, dum ſe nativæ & abſolutæ ſui domini ſubducunt obedientiæ, dum ſic regni Chriſti ſunt perturbatores. *Galat.* 1. *v.* 7. 8. 9. 10. 11. Quod cum majus ſit crimen, quam ſi humana lædatur majeſtas, etiam eo magis erit evitandum. *Auth. Gazaros. Cod. de Hæretic.*

Unde cum miniſtri eccleſiarum aliâ atque aliâ ratione & reſpectu diverſo, ſint Politiæ, ſeu Regiminis ſecularis ſubditi, quaſi cives, & re-

giminis

giminis eccleſiaſtici, ſeu ſpiritualis, membra, quaſi fideles Chriſti ſervi, in opere ſui domini occupati; non committunt læſæ majeſtatis humanæ crimen in officio eccleſię laborantes; licet in illud crimen incidere poſſint, ut cives regiminis politici, dum extra officium, negotio civili ſeſe immiſcent; ſicque regimen civile turbant civiliter, aut deſtruunt. Neque enim majeſtatis læſæ crimen committitur, niſi à ſubdito, & quidem adverſus illum Principum, vel illam Rempublicã, cujus quis eſt ſubditus. *Clem. 2. v. rurſus non eſt ſilentio. De Sēt. & Re jud. Pac diſp. Inſt. 28. n. 23. vid. Conſil. nuper impreſſ. in cauſ. N. Coimans.*

Hinc ſi natura criminis læſæ majeſtatis accuratè examinetur & ſecundum omnes partes expendatur probè, nemo adeo temere aut temerarie fideles eccleſiæ miniſtros ejus fecerit reos. An illi unquam (qui forte adeo odioſè traducuntur) vel contra ſalutem Principis, aut ejus conſiliarios, aut rempublicam; vel

clam vel palam, hoſtili animo quid fuere moliti, aut machinati? An unquam jura Principi competentia de jure, violarunt, aut violata cupiunt, vel verbo, vel facto? An ſubditos obedientiæ Principis nativæ ſubtrahunt, aut debitum honorem exhibendum non eſſe ſuadent?

An aliquid moliuntur reipublicæ damnoſum aut grave? An unquam quę Principis ſunt, aut ſupremarum Poteſtatum ſibi aſſumunt? Enumerentur facta, exempla exhibeantur, producantur teſtes fide digni, audiantur illi ipſi, quid ſint reſponſuri & ſi ſit in confeſſo crimen, pœnis condignis afficiantur. Verum nihil tale, ſat ſcio, probari poterit, nihil reperiri, quod ſpeciem præ ſe ferat, turbatæ Pacis publicæ, aut læſæ majeſtatis. Quinimo nuſquam major in Proceres amor, major obedientia, major fidelitas. Nuſquam magis inſtillatur erga ſuperiores fides, & ſubjectio, quam ubi fideliter, & ſecundum pietatis praxin, apud Reforma-

formatos, Dei verbum annunciatur. Ubique miniſtri Dei in opere ſui domini, in ejuſque pręceptis denunciandis, atque cuivis hominum pręciſè inculcandis, verſantur. Quinimo nuſquam minus turbarum, tumultuum minus, & factionum, in Republicâ, quam ubi univerſum Dei conſilium ſincerè prædicatur? Exemplo ſit prima noſtrorum reformatio, in cujus tutelam adverſus Pontificios Calumniatores, (quaſi ea nativæ Principum obedientiæ ſubduceret cives) in Apologiâ, egregia multa protulit Juellus in Angliâ Saliburienſis quondam Epiſcopus. Cujus locum in ſuperioribus exhibui ſectionibus.

Quid igitur hic ogganniunt nonnulli ſcriptores famoſi? Quid objiciunt fidelibus Chriſti ſervis, reformatoribus & expurgatoribus vitiorum acerrimis? Cur illis majeſtatis contemptę crimen exprobant, niſi quod hoc ipſum facere conſueverint, qui populo Dei ſunt infenſi? Qui cum

nihil

nihil poſſent melius, uti Romæ in cauſidicinâ factitatum, in maledicendi prorumpunt temeritatem. Cumque nihil habeant opulentius, mendaciis ſceleratis, ſimilibuſq; armorum generibus, Miniſtros eccleſiarum fideles, eorumque fautores & propugnatores, ſuperare conantur.

Exemplum ſi quis quæſierit, id invenerit in libello famoſo, nuper edito, ſed per proceres divendi prohibito. Eſt epiſtola licentioſâ nimium, ſi non verè famoſa, quæ auctore larvato quopiam nebulone, Amſterodami fertur excuſa. Trajecti crediderim edita & per menſarium, qui fideles Dei ſervos, cane pejus & angue odio habet, in gratiam amici cujuſdam convivatoris inſignis correcta. Tantum ab eſt ut quiſpiam cui ſanum eſt ſinciput, vel cogitatione eam epiſtolam, in virum illum litteratiſſimum D. Jacobum Ouzelium, tanquam in ejuſdem autorem referre audeat. Quoque illius epiſtolæ ſcriptor improbus feriret

nocen-

nocentius, & quidem impune, prętextu defenſionis, Profeſſ. Cypriani Regneri ab Ooſterga, (cui equidem ego debitor non ſum, niſi forte reſponſum illi à me deberi quis cenſeat, prout meretur) ſub perſonâ de plauſtro convitia jecit immunera. Meque potiſſimum, unaque Venerandum illum Senem (Parentem meum deſigno, in quem quæ livor & calumnia ſpicula habuit, emiſit omnia, licet in vanum) pravo vincendi more, exemplo pravo, invectivis ad quas erubeſceret, qui non omnino conſcientiæ profligatæ, impetiit. In tantum etiam ut nullius facti, mentionem fecerit in epiſtolicâ defenſione prænominata, quod non mendacii arguerem, modo ſui nominis oblitus non fuiſſet auctor, quiſquis ille ſit. Scil. quod tantum non habere ſe virium crederet, ut reſcribendo ingenue, ſicubi diſſentiret, me meaque ſupprimeret, ad maledicta, tanquam ad extremam anchoram confugit.

Qui

Qui cum in honeſto certamine, ubi de virtute contentio, forte non inglorius vel ſuperare, vel receptui canere potuiſſet, maluit ex occulto meos ab aliis laudatos conatus, (rumpantur ut illa Codro) deprimere. Quęque in meis ſcriptis capere non ſatis potuit, carpere, plus quam ſatis eſt, voluit. Hinc minaci ſtylo, adinſtar Pyrgopolinicis Plautini, aut Thraſonis Terentiani, meas chartas diffflare, meque forte unà cum ſapientiæ cultoribus, ad exemplum Romani Imperatoris, in exilium mittere, conatur. Quoque illum canem rabidum fert odium Voetianum, ad hoc incitare Viros Graves, etiam reipublicæ Trajectinæ proceres, nominatim Ampliſſ. Rodenburgium, non deſtitit. Quaſi veluti alienę lubidinis mancipia ſtent in parato, ut juſſum, vel omen hominis male ſani, qui illos invitos ſuis ſimultatibus implicat, ad exitum deducant. Quos tamen viros magnos, (niſi juris divini atque

atque humani profeſsio quem criminis rerum faciat) ne quidem cogitatione, (Deum teſtor) læſi, aut lędere volui; tantum abeſt, ut ſcripto vel propalàm, vel per conſequentiam, eoſdem impetierim. Cum quæ de Statutis à me edita, ante triennium quoad maximam partem perfecta, huncq; libellum, tum temporis effectum, habuerim, niſi quod pauca inter legendum adjecerim, reſectis aliis. Ut ille tenebrio, dum per ſe ſtare non audet in certamine, ſub clypeo potentiorũm latere non debuerit; aut ſi hoc maluerit, id auctori, citra cujuſquam injuriam, ſua edenti, fraudi eſſe non potuerit. An igitur iſtum lucifugam, qui Anabatarum more, in tenebris tantum confuſe certare didicit, ut par eſt compeſcam? An inſanienti, adverſabor ſimili inſaniâ; eique maledictis voluptatem adimam, quam bonis maledicendo, cœpit? Nihil equidem mihi foret facilius, modo ſcirem ater an albus ſit qui me impetiit. Et
forte

forte me agrum fertilem, experire-
tur, qui decuplo plus redderet,
quam accepit. Verum non digna
mihi viſa illius defenſio Epiſtolica
Cyprianea cui quid reponerem;
tantum merita, quam permerdet
ruſticus è Twentiâ, ſicque illi copre-
anea remittatur. Nam quod meas
ſpectat aſſertiones juridicas, quas ille
ut lubricas & heterodoxas explodit.
Non illæ egent novo aſſertore, cum
ſuo illæſæ ſtent loco, legibus, vel le-
gum argumento, vel auctoritate
DD. vel moribus, vel illis omnibus
ſimul, ſtabilitæ. Quæ omnia (ad
lectorem provoco) ſi videre voluiſ-
ſet, etiam intellexiſſet, quibus ful-
cris nitantur.

Quod cum ipſe perſentiſceret, ad-
eoque ſe nihil cum effectu potuiſſe,
experiretur, etiam ad vocabula re-
currere maluit, quorum nonnulla è
meo libello excerpta, quaſi minus
latina exulare jubet. Grammatico-
rum imitatus inſtitutum, qui ad
minutias oculos pandunt (ex illo
Lipſii)

Lipſii) claudunt ad ſapientiæ lucem. Parum memor illius Celſi: ſcire leges, non eſſe verba tenere, ſed vim atque poteſtatem; adeoque Imperatores ſolitos, non circa verba, ſed negotia eſſe ſollicitos. *l. 17. D. de legibus. l. 2. in fin. Cod. Comm. de legat.*

Quaſi qui materiam uſu fori receptam, explicat, ſingulas voces, atque phraſes, ad eloquentiam Ciceronianam examinare, teneatur; & non ſcribenti celeriter per incuriam excidere poſſit vocula, quæ poſtmodum autori diſpliceret. Quaſi vocabulum artis adhibere non liceat, à viris magnis adhibitum. Cum aliter oporteat, non inficior, ad verba latina, rerum ſigna attendere, ne quis barbarus cuipiam videatur, aut non ſingula ſuis expreſſiſſe nominibus. *l. 7. §. 2. D. Supell. legat.*

Verum ne in uno atque altero vocabulo gloriolam quærat, aut triumphum ſibi decerni poſtulet novus ille Arpinas, ejus veſtigia ſequar, examinaturus num jure meri-

to, è civitate Romanâ verba quæ dudum admiſſa, & inter viros doctos uſitata ejecerit. Certe id ne quidem potuit Imperator Romanus niſi peregrinum foret vocabulũ, nunquam jure latii donatum. Ut ſi probavero, in civitatẽ id eſſe receptum, talionis pœnâ ſit afficiendus cenſor ille temerarius, id eſt, quod alteri minabatur, in exilium mittendus. Et quidem peregrina ipſi vox eſt adjectiva *cerebrinus*; in cujus locum ſi ſubſtituiſſem *cerberinus* epiſtolæ ſcriptore digna vox fuiſſet. Aut ſi ſcriptum voluiſſet *cerebroſus*, etiam illi cerebroſo vox conveniens fuiſſet. Aſt nolui aliquod verbum homini aut animantibus brutis applicatum, verum rei. Dixeram enim, *cerebrini mores*, non aliter atque apud JC. artium ſcriptores, legimus cerebrina inventa, cerebrinam eſſe æquitatem. Neque enim aliud quid ſignificare volui, quam nonnullos, de moribus diſſerere in ideâ, qui tamen quia facti

ſunt,

ſunt, in ipſis rerum obtinent argumentis, ut fingi non debeant aut in cerebro cujuſdam latere. Et uti philoſophi loquuntur de Univerſalibus, quod ſint opera mentis, adeoque in mente reſideant, extra eam nihil rei forte habeant: ita etiam tales mores imaginarios dici poſſe, nonniſi in cerebro reperiri, quod uſum nuſquam habeant. Quid equidem hic culpandum, ut Orbilium quem adeſſe oporteat, qui plagas ingerat?

Verum altera ejuſdem Ariſtarchi cenſura priore iniquior ſtricta in illã phraſin, *bene multi*; quam nuſquam viderat aut legerat, apud probatos auctores. Non equidem miror; quam parum enim ille viderit aut legerit, quamq; parce bonos inſpexerit auctores, & forte plus vini quam olei conſumpſerit, vel hæc ipſa phraſis eſt indicio. Uſurpata Marco Tullio, Horatio, aliiſque tam oratoribus quam poëtis, qui vixere cum ipſa latina lingua eſſet ἐν ἀκμῇ. Et ne multa cumulem, locũ dabo,

dabo, quē Tirones habent in parato? Is occurrit apud Cæſarem de bell. Hiſpanico, ut alia ejuſdem ſcriptoris omittam. *Adverſarii bene multis vulneribus affecti ſunt.* Vel ut preſſius agam cum meo lucifuga qui ſe JConſultum jactitat, auctoritate juris Juſtinianæi, quam mihi ſequi licuit, ſententiam meam comprobabo. Locus eſt, *in §. pœnales. inſtit. de Action. Pœnales actiones bene multas, ex ſuâ juriſdictione introduxit Prætor.*

Ut eo iniquior ſit cenſura, quo turpius eſt legum doctorem, jus in quo verſatur ignorare.

Supereſt ut in libertatem aſſeram vocem *Deviare*, quam in meo libello ferre noluit, ſummus hic criticus. Quaſi non apud antiquos *viare deviare* fuerit in uſu, unde loca *devia, id eſt abdita, quaſi extra viam. Iſidor.* 14. *Origin. c.* 8. *fere circa finem. Salmaſ. in Auguſt. ſcriptor. p. mih.* 207. Ne dicam *viare* apud bene multos auctores etiam probatos, occurrere; licet non omnes ævo vixerint Auguſteo.

Illa

Illa equidem voce non ſemel uſus eſt *Apulejus* 10. *Metamorph. p. mihi.* 240. *etiam in Floridis*. Nec abſtinuere, *Lucanus, Lucilius, Silius Italicus*. & poſt illos, *Symmach.* 1. *Epiſt.* 80. *Sidon.* 4. *Epiſtol.* 3. *Palmerius in ſpicilegiis circa initium. Caſpar. Bartius. adverſ.* 42. *c.* 10. Quid quod eam non repudiaverit Tertullianus, juris & latinitatis periciſſimus. in *Apol. c.* 21. ubi hæc occurrunt. *Deviantes à Diſciplinâ*. Sic enim legitur, *in manuſcr. Cod. Fulvii Urſini. Franciſc. Jun. in not. ad d. c.* 21. *Elmenhorſt. in Apulejum*. Fruſtra vero quis dixerit Tertullianum Afrum fuiſſe: neque enim id magis obſtabit vocis latinitati, quam ſi quis Livium dicat Patavinum, aut Martialem Hiſpanum. Cujus poſtremi ſcriptoris, ut putem auctoritate nititur vox *deſioculi* à noſtro naſuto uſurpati. Niſi potius omni deſtituatur authoritate, quod in pleriſque Codicibus *Martial.* 12. *Epigr.* 59. legatur *dexioculus*. Si tamen majorem quiſpiam à me flagitet auctoritatem,

adeoque nodum in ſcirpo quærat, dabo Macrobium qui in ſomnium Scipionis voce *deviare* uſus eſt. Ad quem locũ *Franciſc. Modius, Novanti. lection. Epiſt.* 72. ſcribit; *id eſſe probum & antiqua nota verbũ, ſed iis, qui illud male exterminarunt, ignotum.* Verum manũ de tabulâ: ad ſeria magis & ſeveriora me vocat libelli ratio, ut hęc in tranſitu dicta ſufficere debeant, quod ſapientibus vel tria verba ſufficiant.

CAP. III. SECT. III.

1. *Eccleſiaſtica Poteſtas ſolius eſt Eccleſiæ, & duplex.*
2. *Ea omnium miniſtrorum eſt æqualis, ſine ulla prærogativâ.*
3. *In quo conſiſtat poteſtas regiminis?*
4. *In quo conſiſtat poteſtas, exercendi juriſdictionem ſpiritualem?*
5. *In omnes ea exercenda.*
6. *Pœnarum Eccleſiaſticarum gradus.*

ATque hæc quidem officium ſpectabant Eccleſiæ miniſtrorum,

rum, ſequitur, ut agatur de eorundem poteſtate quæ vel in regimine Eccleſiæ, vel ſpirituali jurisdictione id eſt cenſurâ Eccleſiaſtica conſiſtit.

1. Ubi in anteceſſum hęc explicanda. 1. Eccleſiaſticam hanc poteſtatem quæ intrinſece talis, ſolius eſſe Eccleſiæ, non ullius Principis, aut Magiſtratus Politici. *Matth. c.* 16. *v.* 19. *& c.* 18. *v.* 18. *Act. c.* 20. *v.* 28. *Hebr. c.* 13. *v.* 17. 1 *Teſſal. c.* 5. *v.* 12. 1 *Petr. c.* 5. *v.* 2. *Epheſ. c.* 4. *v.* 11. 12. 13. Diſtinctę quippe ſunt poteſtates Eccleſiaſtica & ſecularis, per ea, quę ſuperius à me fuerunt explicata. Sic ut citra contradictionem, quod eſt Eccleſiæ, Politico Magiſtratui tribui nequeat. Aut ſi huic aliquid juris Eccleſiaſtici tribuatur, eadem ratione, ex naturâ correlativorum, aliquid ſecularis poteſtatis Eccleſiaſticis eſſet concedendum. Aut ſi Magiſtratui, quaſi Eccleſiaſtico quid conceſſum nonnulli velint, etiam Eccleſiaſticis, quaſi Politicis eſſet aliquid tribuendum. Confeſſio

Synod. Angliæ ſub rege Carolo de ann. 1647. c. 23. & c. 30.

2. 2. Hanc poteſtatem eſſe miniſterialem, & quidem omnium miniſtrorum æqualem, ſine jure prælationis, aut præcedentiæ, quicquid hic per temporum mores, jus noſtrum civile in contrarium forte decreverit. Neque enim primitiva Eccleſia, primatum unquam agnovit. *Cyprian. de Simplic. Prælator. Hieronymus ad Evagrium. Epiphanius epiſt. ad Johannem Epiſcopum Hieroſolymitanum. Danæus lib. 2. de Eccleſ. c.* 8. Quin imo ne quidem illi ipſi, qui Pontifices dicti fuere, *domini* appellari voluerunt, verum potius miniſtri, aut ſervorum ſervi, quo haud obſcure fatebantur faſtum procul eſſe debere. *Gregor. Tholoſ. in Schol. ad Proœm. decret. n.* 2. *Horenb. ad Bull. Innoc.* 10. *p.* 252. 253.

Perſonæ quippe Dei miniſterio proximius mancipatæ titulis humilioribus conſentire debent. Adeoque præceptis Salvatoris auſcultare,

re, qui talia ſuggeſſit diſcipulis, ut ſi quis major eſſe velit, omnium fiat miniſter. *Matth. c.* 20. *v.* 25. *& ſeqq. Luc. c.* 22. *v.* 24. *& ſeqq. Marc. c.* 10. *v.* 42. *c. nullus primas.* 9 *c.* 3. Aut ſi ne quidem iiſdem auſcultarent, ſaltem exemplo ejus moverentur, qui *cum eſſet* omnium dominus, formam ſervi accepiſſe prędicatur, ut humilitate præiret omnibus. *Philipp. c.* 2. *v.* 5. *& ſeqq. Ut manifeſtum ſit, illos non eſſe Dei, qui humilitatem contemnunt ſed diaboli miniſtros qui ſuperbiæ inventor eſt & Princeps. Capit. Carol. & Ludovic. Imperatorum. libr.* 6. *c.* 230. Ratio autem in promptu eſt. Quia cum poteſtas à Chriſto tributa ſit ęqualis & omnium miniſtrorum, ſeu Epiſcoporum, omnibus etiam ex æquo competere debebit non uni cum imperio, alteri ſine imperio. *Matth.* 18. *Luc.* 9. 1. *Cor. c.* 3. *v.* 5. *&* 7. 2. *Cor. c.* 12. *v.* 9. *Galat. c.* 2. *v.* 8. Et locus eſt inſignis Chryſoſtomi *in c. multi. diſt.* 40. *&* Hieronymi in *c. olim. diſt.* 95. *Marſil. Patav. Defenſ. Pac. p.*

2. c. 4. p. 135. in fin. vid. & c. quam gravi. de crimine falſi. Unde & Johannes Epiſcopus urbis Romæ Hypatium, atque Demetrium in epiſtolâ ad Juſtinianum Imperatorem, appellat fratres & coëpiſcopos ſuos. *l. inter claros. in fin. Cod. Summ. Trinit.* & *in fin. l. ult. Cod. Eod.* Licet non negem Imperatorem Romanæ Eccleſiæ primum locum (ſi non illa ſuppoſititia) & quaſi primatum aſſignare. *l. reddentes. in fin. Cod. ſumm. Trinit.* Quem in oriente tribuit Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, *l. 24. Cod. Sacroſ. Eccleſ. vid. Marſil. Patav. Defenſ. Pac. p. 2. c. 15. & ſeq. Danæus de poteſt. Eccleſ. c. 6. 7.*

3. Conſiſtit autem regiminis poteſtas, in miniſtrorum electione, & vocatione. *Actor. c. 14. v. 23. 1 Timoth. c. 5. v. 22.* de quibus prolixe ſuperius fuit actum. In verbi prędicatione, & explicatione difficultatum ſcripturæ. *Matt. c. 28. v. 19. Marc. c. 16. v. 15.* In adminiſtratione ſacramentorum. *Matt. c. 28. v. 19.*

Marc.

Marc. c. 16. *v.* 16. 1 *Corinth. c.* 11. *v.* 23. cujus nomine, ſecundum canones, non erat exigendum pretium. *Duaren.* 7. *de miniſt.* 6. In canonum conſtitutione, dum ad minimum quotannis ſemel, cum Collegis Eccleſiaſticè in Synodo id eſt in concilio eccleſiaſtico conveniunt, de quo prolixe *Greg. Tholoſ. Juris Canon. libr.* 1. *tit.* 2. *c.* 5. 6. 7. Reverend. Parens libello peculiari. Ita tamen conveniunt, ut quandoque ſine conſenſu magiſtratus Politici id fieri poſſit, non facile tamen, eo prohibente, ut ita per tales conventus Eccleſiaſtica diſciplina conſervetur. *Nov.* 123. *c.* 10. *Actor. c.* 15. vid. *Reſponſ. Miniſtrorum & Eccleſiarum Holl. de ann.* 1582. *ad Remonſtrant. Leidenſ. p.* 5. 6. 7. Canonibus autem ita conſtitutis ſeſe omnes ſubjicient, niſi in quantum adverſantur rectæ rationi, aut ſacris litteris: neque enim ſunt infallibiles. *Ordin. Eccleſ. de ann.* 1618. 1619. *tit. de convent. Eccleſ. art.* 31. *Danaus de poteſt. Eccleſ. c.* 12. 13. *& ſeq.*

ſeq. & *c.* 36. 37. & *ſeq.* Quod ſi nonnulli ritus, vel moribus, vel canonibus ſint introducti, non facile iſti erunt immutandi. *Arg. l.* 2. *D. Conſtit. Princ.* Si tamen ex Papatu originem habeant, & aliquam ſecum trahant ſuperſtitionem aut mali ſpeciem contineant, etiam invitis aliis aboleri, aut omitti poterunt. *Arg.* 1. *Corinth. c.* 7. *v.* 23, *Galat. c.* 5. *v.* 1. 1. *Teſſal. c.* 5. *v.* 22. *Balduin. caſ. conſc. lib.* 4. *cap.* 11. *caſ.* 4. *vid. Danæum de poteſt. Eccleſ. c.* 23. & *ſeqq. Et male adinventa, malaque conſuetudinis neque ex longo tempore neque ex longâ conſuetudine confirmantur. Juſtinian. Imperator. Nov.* 134. *c.* 1. *in fin.*

Inſuper regiminis Epiſcopalis poteſtas conſiſtebat in Clericorum (per quos intelligunt in minoribus ordinibus conſtitutos) confirmatione, ſi idonei, à Patrono ad beneficium vacans nominati, ſeu præſentati fuerint. Quale jus patronatus appellatur. Nunquam de jure civili extenſum ad Eccleſiæ paſtores, ſeu Epiſco-

Epiſcopos, *vid. Nov.* 57. *c.* 2. *Nov.* 67. *c.* 2. *Nov.* 123. *c.* 18. Niſi per conniventiam. *Ordin. Synod. Dordrac. de ann.* 1618. 1619. *art.* 5. *Ritterſh. ad Novell. p.* 1. *c.* 7. *n.* 76. *pro jure. Speckhan. cent.* 3. *claſſ.* 1. *qu.* 36. 37. *Gregor. Tholoſ. Syntag. Jur. lib.* 17. *c.* 4. *Reverend. meus Parens diſſert. de jur. patronat. Anton. Matth. oration. contra jus patron.*

4. Poteſtatis miniſterialis altera ſequitur ſpecies, quæ erat facultas exercendi juriſdictionem ſpiritualem, qua nomen Dei à contemtu vindicatur armis ſpiritualibus, adeoque in delinquentes Eccleſiaſticè animadvertitur, per cenſuram Eccleſiaſticam, per ſuſpenſionem à communione cœnæ, per excommunicationem. Idque non privatæ vindictæ intuitu, non hominum favore, non ex noſtro ſenſu, ſed juxta verbum Dei, juxta ordinat. Eccleſię, ritè & ordinatè. Et quidem propter quæcunque ſcelera, & vitia; etiam quæ à Magiſtratu ſeculari pu-

niri ſolent. Unde in Confeſſione Belgicâ, Catecheſi Heidelbergenſ. formulâ cœnæ adminiſtrandæ, homines delinquentes, impii, flagitioſi, in peccatis, vitiis, ſceleribus perſeverantes, dicuntur indiſtinctè à cœnâ arcendi. *Mat. c.* 18. *v.* 17. *&* *c.* 16. *v.* 19. Non tamen facile, & non niſi graviurgente cauſâ. 1. *Corinth. c.* 5. *v.* 1. 2. 3. 4. 5. 2. *Corinth. c.* 10. *v.* 6. 2. *Teſſal. c.* 3. *v.* 6. *l.* 30. *Cod. Epiſc. & Cleric. Nov.* 123. *c.* 11. *declarat. Carol.* 2. *regis Angliæ. de ann.* 1660. *Oct.* 25.

5. Tumque in omnes illa exercenda eſt, ſive ſint Magiſtratus, ſive ſubditi; in quantum omnes Eccleſiæ membrorum veniunt nomine. Non aliter enim, atque Medicis, licet ſubditis, paret Rex ægrotus; ita qui laborat ſpiritu, ſubeſſe tenetur ſacerdoti, licet quoad temporalia, regis miniſtro. Omnes enim arcendi, ut nemo excipiatur, qui confeſſione, & vitâ infidelem ſe & improbum declarat. *q.* 82. *Catecheſ. Heydel-*

Heydelberg. Quin imo univerſis, & ſingulis ira Dei denunciatur. *qu.* 84. *d. Catech.* ut nemo ſit excipiendus, niſi ſe numero fratrum exemerit. *Matth c.* 18. Id quod etiam ſuo exemplo docuit Imperator Theodoſius, ab Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi excommunicatus, qui non ęgre tulit, quod à ſacris fuerit remotus, propter cędem Theſſalonicenſium. De quo ita poſt alios Ericius Puteanus *Hiſtor. Barb. lib.* 1. *c.*6. *Atque hunc, ſcilicet Theodoſium, Ambroſius Antiſtes loci, ob cædem Theſſalonicenſium, à limine templi rejecit, ſacriſque arcuit, dignum ſane veniâ, imo laude, quia pietati, haud gravem, ut pœnam ſubiret Theodoſium ſe eſſe oblitus eſt; niſi hoc potius fuerit, meminiſſe. Tanta auctoritas monentis erat ut in antiſtite Imperator videretur loqui; & tanta audientis facilitas, ut ſubditi habitu, numinis minas admitteret. Quo abiiſtis ſancti mores! Sanctam ſolemni exemplo, Chriſtiana pietas pondus, apud Mediolanenſes, atque adeo mortales omnes invenit. Poſt principem*

punitum , quis auderet ſcelus?

Illuſtre itidem exemplum ſuggerit Gallia in Henrico 4. Rege Navarræ, tum orthodoxo, poſtmodum Galliarum; qui cum ſtupraſſet fœminam honeſtam & vitium eſſet in propatulo, ipſe etiam idem faſſus fuiſſet, per judicium eccleſiæ publica illi pœnitentia fuit injuncta, quo ſcandalum propalam datum etiam in conſpectu eccleſiæ auferretur. Cui judicio, cum ęgre ſe rex ſubmitteret, Pleſſiaci dominus arrepta occaſione aciei inſtantis, Regi oſtendit quantum intereſſet & ratione regiminis, & eccleſię reparari datam offenſam. Quapropter tandem confeſſus eſt coram facie eccleſiæ, ſe ſcandalum dediſſe, ejuſque nomine pœnitere; ſicque ipſo facto demonſtravit, ne quidem Reges ordini & cenſurę eccleſiaſticæ exemptos eſſe. vid. *Hiſtor. vitæ. Philippi de Mornay D. de Pleſſis. libr.* I. *p.* 108. *in* 4.

6. Pœnarum autem Eccleſiaſticarum in Republicâ & Eccleſiâ Judai-

Judaicâ uſitatarum tres fuere ſpecies. Una appellata נִדּוּי *nidoui*, ſeparatio à cœtu Eccleſiæ. Quæ pœna erat leviſſima, adeoque quædam remotio ab aliorum familiaritate. Quo forte reſpexit. Apoſtol. Paulus. 2. *Theſſal.* 3. *v.* 6.

Altera ſuperiori gravior, חֵרֶם *Cherem*, excommunicatio, ſeu excluſio à cœtu ſacro, ejectio è Synagogâ, cum diris & maledictionibus. *Geneſ.* 17. *v.* 14. *Levit.* 17. *v.* 4. & 18. *v.* 29. 30. 31. *Deuteron.* 28. *Joſua c.* 6. *Eſra c.* 10. *v.* 8. *Nehem. c.* 13. *v.* 25. quo referunt exemplum cœci. *Johan cap.* 9. & 1. *Corinth.* 5. *verſ.* 5. & *ſeqq.*

Tertia, quæque omnium graviſſima, dicta שַׁמַּתָּא *Schammatta.* Maxima ſcil. excluſio, ſeu excommunicatio. Quæ talem adjunctam habebat execrationem, ut homo coram Deo & hominibus ſit execrabilis, adeoque divino exitio deſtinatus. Quo referunt *Judicum.* 5. de maledictione urbis Meros. 2. *Timoth.*

4. *v.* 14. &c. vid. plura huc facientia apud *Buxtorfium in Synagog. cap.* 34. *ejuſque Lexicon Talmud. p.* 1304. 1306. *Seldenum de jure natur. & gent. libr.* 4. *cap.*8. *Clariſſ.* D. *Joh. Leuſden. Philolol. Mixti. diſput. final. theſ.* 2. *& ſeqq.*

Doctores communiter tam veteres quā recentiores, quatuor pœnarum eccleſiaſticarum faciunt gradus. Depoſitionem ſeu degradationem, quam Eccleſiaſticis applicant; Excommunicationem minorem, quæ hominem excludit à communione ſacramentorum; Excommunicationem majorem, quæ hominem ab ipſâ Eccleſiâ ſeparat: Et Anathematiſmum, quo quis ab ipſo corpore Chriſti abſcinditur, ſive ab omni ſpe ſalutis ſeparatur. Quos tamen gradus non ita recipimus. Potiſſimum depoſitionem in miniſtris, ſuſpenſionem à ſacramentis, & excommunicationem admittimus, ut cęterorum nullus apud nos ſit uſus. *Clar.* §. 5. *q.* 77. *in init. Rittersh. ad Nov. p.* 1. *c.* 6. n.

6. n. 28. vid. *Danæum de poteſtate Eccleſ. cap.* 47. *& ſeqq. cap.* 52. *& c.* 59. *& ſeqq. Bonavent. Bertram. de Polit. Judaic. c.* 7. *Ordin. Eccleſ. de ann.* 1618. 1619. *Rubr. ultim.*

Pœnarum tamen canonicarum ſeptem enumerat genera Alciatus. Damnum, ſive mulcta pecuniaria. Excommunicatio, quæ ſucceſſit aquæ & ignis interdictioni. Et inſtituitur propter contumaciam, atque exceſſus multiplices. Suſpenſio idque vel ad tempus, vel in perpetuum; idque vel *ab officio*, vel beneficio, vel ab utroque ſimul, & comparatur temporali relegationi. Depoſitio ob crimen ſolo verbo facta, prolatâ in aliquem ſententiâ. Quæ pœna perpetuæ comparatur deportationi. Intruſio in locum certum, incarceratio, quæ duo, carceri ſeu vinculis comparari poterunt. Interdictum eccleſiaſticum; & denique degradatio, quæ morti, ſeu maximæ capitis deminutioni aſſimilatur. De quibus *Alciat. in Proceſſu judiciar.*

com-

compendio, vel praxi jur. utriuſque. tit. de accuſ. p. mihi. 289.

CAP. III. SECT. IV.

1. *Eccleſiæ miniſter non tenetur propriis militare ſtipendiis.*
2. *Magiſtratus aſſignat ſtipendium, vel eccleſia.*
3. *Defuncto miniſtro, intra tempus, ſalarium reſidui temporis, hæredibus debetur.*

1. POſtquam eſt actum de poteſtate, & officio miniſtrorum, quod etiam adjunctum habere debet aliquod beneficium, (neque enim qui in Eccleſiæ meſſe laborant, ſuo ſtrenue funguntur officio, à ſecularibus ſemoti, ſine ſumptu in opere verſari poterunt) eapropter de ſtipendiis eorundem paucis erit agendum. Ubi pro indubitato tenendum, neminem ad hoc obſtringi, ut ſe ſuis exhibeat reditibus. Neque enim quiſpiam propriis militare cogitur

gitur ſtipendiis. *l. ſi quis alieni.* §. *Impendia l.* 10. §. 9. *D. Mand. c. cum ex officio.* 16. *in fin. de Præſcript. Rittersh. p.* 1. *Nov. c.* 7. *n.* 90. Id quod congruum eſt ſententię Paulinæ 1. *Corinth. c.* 9. ubi ſex argumentis hanc communem ſententiam confirmat.

2. Quo nomine Magiſtratus Politici curæ incumbit, ut de ſtipendiis proſpectum ſit verbi miniſtris. *Faber in Cod. libr.* 3. *tit.* 12. *def.* 18. *n.* 4. 5. Qui ſi vel non poſſit, vel nolit, id Eccleſiæ membris erit commendatum, quorum gratiâ laborant verbi miniſtri. *d. c.* 9. 1. *ad Corinth. Arg. l.* 11. §. 1. *D. ad Exhib. l* 33. §. 3. *D. Procurat.* Ad quæ ipſi tenentur, licet Paſtores, de ſuis honeſte ſemet exhibere poſſint, exemplo Melchiſedeci. *Gen. c.* 19. *v.* 20. *Deutern. c.* 12. *v.* 19. *Proverb. c.* 3. *v.* 9 *Luc. c.* 8. *v.* 3. Idque in ſignum gratitudinis beneficiorum à Chriſto acceptorum. *Commentatores Belgæ. in not. ibid.* Eſtque ratio in promptu. Nam qui commodum ſentit, & emolu-

molumentum, incommodo ſe ſubducere nequit. *l. unic.* §. 4. *Cod. Cad. Tollend. l. ſecundum naturam.* 10. *D. Reg. jur. ibique DD.* Et qui gregem paſcit, de lacte ejus comedere illi datum eſt. *l.* 1. *Cod. Sacroſ. Eccleſ.* Neque æquum eſt ſtipendia aſſignari parce, ſed liberaliter, ut habeant miniſtri, unde ſe ſuosq; alant, nec ſint de ſęcularibus ſolliciti. 2. *Paralipom. c.* 31. *v.* 4. 5. 10. *Galat. c.* 6. *v.* 6. *Philipp. c.* 4. *v.* 11. 12. 16. 18.

3. Quodſi moriantur anno expleto, ſed nondum accepto ſalario, extra dubium erit, hæredibus integrum deberi, quod obligatio ſit tranſitoria ad hæredes. *Arg.* §. 2. *inſtit. de verbor. Oblig. l.* 12. *D. qui ſatiſd. cogant. l.* 41. *D. de judic. Arg. l. deſertorem.* 3. §. 12. *D. de Re militar.*

Verum, ſi initio anni conceſſerint in fata, ſemeſtre ſalarium indiſtincte in Germaniâ, viduæ, liberis, hæredibus conceditur. *Rauchb. p.* 1. *q.* 25. *n.* 14. Jure civili forte annuum integrum tranſmitteretur, idque ad

exem-

exemplum annui legati. *l. 11. in fin. Cod. Proxim. Sacroſ. Socin. libr.* 12. *l.* 3. *Cod. Agent. in rebus. l.* 38. *D. Locat. l.* 1. *§.* 13. *D. Extraord. Cognit. Gail.* 1. *obſ.* 44. *n. pen. Perez. Cod. Prof. & Med. n.* 9. 10. *ibique varii.*

Moribus noſtrarum Provinciarum illius temporis ſalarium, quod ingreſſus eſt concionator puta trium menſium, quia quater in anno ſuum petunt ſalarium viduis, aut liberis debetur, & inſuper annus gratiæ in pleriſque locis concedi ſolet, qui tamen non cedet defuncti miniſtri creditoribus, quod reditus illi ex gratiâ non jure hæreditario percipiantur. *Arg. l. ult. cum Authent. Cod. de Pignor.* Nov. 53. *c.* 5. *Nov.* 97. *c.* 4. *vid. Martyr. in* 2. *Reg. c.* 5. *v.* 15. 16. De quibus omnibus quia prolixe *Carpzov. Juriſprudent. Conſiſtor. libr.* 1. *tit.* 7. ideo hic abrumpam, ne ab aliis bene inventa, pro meis venditem.

CAP. III. SECT. V. & Ultima.

1. *Utrum Epiſcopi habuerunt juriſdictionem?*
2. *In quibus cauſis Eccleſiaſtici ſubſint ſecularibus?*
3. *Utrum per cenſuram Eccleſiaſticam, judicio ſeculari fiat præjudicium?*
4. *Utrum exceptioni litis pendentis ſit locus delicto coram ſeculari judice intentato, in ordine ad Synedrium, ſeu conſiſtorium?*
5. *Removentur objectiones.*

1. POſtremum, quod expendendum ſupererat, ſpectabat forum competens Eccleſiaſticorum. Ubi principio inquiri poterit, An Epiſcopi habuerint juriſdictionem; id eſt poteſtatem, quâ coercerent inobedientes, & ſententias à ſe latas executioni mandarent? Quod negandum videtur. Habuerunt quidem juriſdictionem Eccleſiaſticam, dictam audientiam, quæ citra coactionem

ctionem procedebat, & continebat cauſarum ad Eccleſiam ſpectantium notionem, atque deciſionem. Quo etiam nomine forum habere dicebantur. *l.* 6. *Cod. Epiſcop. Audient.* Eoque forte etiam referri poſſet illud Pauli. 1. *Corinth. cap.* 6. Non tamen habebant apparitores, aut executores ſuarum ſententiarum, Ut Magiſtratus ſoliti fuerint ſententias eorum exequi. *l.* 25. *Cod. Epiſc. & Cleric. Nov.* 123. *c.* 21. *Matt. c.* 20. *v.* 25. *Luc. c.* 22. *v.* 25. *l.* 8. *Cod. Epiſc. Audient. Cujac. Parat. Cod. de Epiſc. Audient. Pacius Parat. ibid. Ritterſh. ad Nov. p.* 1. *c.* 7. *n.* 47. *Danaus de poteſtate Eccleſiaſtica cap.* 52. 53. *Alberic. de Nupt.* 1. *c.* 14. *p.* 64.

2. Verum ut quod ſpectat forum Eccleſiaſticorum, evidenter percipiatur, diſtinctione res erit temperanda. Aut enim negotium eſt ſpirituale, ſeu Eccleſiaſticum, aut civile ſeu ſeculare. Si poſterius, quo refero etiam crimen majeſtatis, Eccleſiaſticæ perſonæ ſeculari poteſtati exemptæ

ptę non ſunt, verum coram Magiſtratu loci, ubi domicilium fovent, conveniri debent. *l.* 26. *l.* 31. *Cod. Epiſc. & Cler. l.* 6. *Cod. Epiſcop. Audient. l. ne quis* 2. §. *eum. Cod. Ut nemo privat. l.* 10. *Cod. de Leg. Nov.* 3. *in princ Nov.* 86. *Nov.* 123. *c.* 24. 1. *Paralip. c.* 2. *Matth. c.* 22. *v.* 21. *Marc. c.* 12. *v.* 13. *& ſeqq. Matth. c.* 17. *v.* 27. *Rom. c.* 13. *v.* 1. *Johan. c.* 19. *v.* 10. 11. *Danaus loc. cit. vid. celeberr. Hoornbeeck. in diſp. ad Bullam Innocentii* 10. *p.* 250. *& ſeq.* Ut tamen nonnunquam de cauſis civilibus, ad inſtar Arbitri cognoverit loci Epiſcopus, aut cognitioni in majorem fidem fuerit præſens. *l.* 7. 8. *Cod. Epiſc. Aud. Perez. Cod. Eod. n.* 4. *Nov.* 8. *c.* 9. Vel tanquam pater ipſorum ſpiritualis ſuam auctoritatem inter Eccleſiaſticos, interpoſuerit; qui tamen ejus judicio acquieſcere non tenebantur. *Nov.* 123. *c.* 21. Ipſe vero Epiſcopus non facile, & nonniſi conſenſu Principis, ad judicem ſecularem trahebatur. *Nov.* 123. *c.* 8.

Si prius, id eſt ſi negotium eſſet ſpirituale, puta quæſtio aliqua de fide, aut re aliqua ſpirituali, aut piâ ventilaretur, eam decidebat Epiſcopus, *l.* 6. *Cod. Sacroſ. Eccleſ. l.* 1. 3. 9. 23. *Cod. Epiſc. Aud.* Quinimo ſi delictum eſſet Eccleſiaſticum, Epiſcopo in Eccleſiaſticos competebat juriſdictio. *l.* 6. *Cod. Epiſc. Aud. Auth. Clericus & ſeqq. Cod. Epiſc. & Cleric. c. ſi quis cum clero.* 11. *q.* 1. 2. *Cronic. c.* 19. *v.* 8. *Deut. c.* 17. *v.* 9. 10. 11. 12. Idque ne longis ambagibus, & prolixâ telâ litis, à divino cultu avocarentur. *Nov.* 79. *c.* 2. *in fin. Nov.* 83. *c.* 1. *Nov.* 123. *c.* 8. 10. 21. 22. 23. *correctis l.* 33. 25. *Cod. Epiſc. Cler. l.* 13. *Cod. Epiſc. Audient.* Hocque juſtum, & æquum eſſe, ſequenti ratione videtur ſuaderi. Nam ſi milites armatæ militiæ fori gaudent præſcriptione, ſic ut in delictis, & cauſis militaribus, nonniſi coram militum magiſtris conveniri debeant; quidni etiam cœleſtem illam militiam profeſſi, in cauſis animarum, ſolum-

ſolummodo coram animę curatoribus erunt conveniendi. Arg. à militiâ ſeculari ad ſpiritualem, *l. 6. Cod. de juriſd. & tit. Cod. in quibus cauſ. milit. for. præſcript. Actor. c. 15. 1 Cor. c. 5. v. 3. 4. vid. Cujac. ad Nov. 79. Ritterſh. p. 1. Novell. c. 6. n. 76. & c. 7. n. 80 Modeſt. Piſtor. vol. 1. Conſil. 24. num. 13. Arum. de jure publ. tom. 1. diſc. 13. qu. 22. Everhard. in Topic. loc. 22. Claud. Cantiunc. in 12. ſpecie loco à ſimili. Vaz. Barboſ. Princ. juris litt. a. n.* 190. Id quod etiam noſtratium moribus eſt congruum, quibus audientia, cognitio & deciſio negotiorum, & cauſarum Eccleſiaſticarum, Eccleſiaſtice ventilatarum, inter Eccleſię membra, eſt penes Epiſcopos, ſeu paſtores loci, junctis preſbyteris, etiam in nonnullis Provinciis, connumeratis diaconis, qui convocati ſynedrium, ſeu conſiſtorium, ſeu judicium aliquod Eccleſiaſticum conſtituunt. *Confeſſ. Eccleſ. Belgii fœderati artic.* 30. 31. *Ordinat. Eccleſ. de ann.* 1618. 1619.

Art.

Art. 30. 37. 38. Hinc etiam in omnibus locis, collegia, ſeu judicia duum generum obſervare licebit, unum ſeculare, ſeu civile, alterum Eccleſiaſticum, ſeu ſpirituale. Neque unum alteri dicetur eſſe ſubordinatum, proprie dictâ ſubordinatione; quod ſint toto genere diſtincta. Civile quippe reſpicit hominem externum, quaſi civem; Eccleſiaſticum internum quaſi fidelem, quaſi Eccleſiæ membrum. Illud coërcens armis carnalibus; hoc efficax quidem verum nonniſi armis ſpiritualibus. *Confeſſ. Belg. art.* 30. *Ordin. Eccleſ. Dordrac. de ann.* 1618. *art.* 1. *de diſcipl. Eccleſ.* Nec ea propter cenſebitur eſſe Imperium in Imperio; niſi quis, ignarus eccleſiaſticæ poteſtatis, illud imperium appellare maluerit; vel totidem in republicâ admiſerit imperia, quot ſunt ibidem diverſi reſpectus ſuperiorum & inferiorum, ſecundum 5. decalogi præceptum. Puta Senum, & juvenum, Præceptorum, & diſcipulorum, Domi-

S norum

norum & famulorum, mariti & uxoris. Quæ ſi imperia dici non mereantur, niſi admodum abuſive; & tamen rectè in republicâ citra ſupremæ poteſtatis præjudicium admittantur, cum tamen ab eâ in multis dependeant, etiam in nonnullis conveniant. Multo equidem minus eccleſiaſtica poteſtas publico regimini præjudicabit; utpote cum quo nihil habet commune, ab eodem omni modo diſtinctum, & in ſuo genere independens.

3. Occaſione premiſſę diſtinctionis inter hanc juriſdictionem ſecularem & eccleſiaſticam, ſubjungam quæſtionem, & quidem eo lubentius quod eam à nonnullis male intellectam animadvertam. Utrum per pœnam Eccleſiaſticam, puta cenſuram vel excommunicationem, pœnis, à ſecularibus judicibus infligendis fiat præjudicium, aut viceverſâ; ſi contigerit delictum in utroque judicio pœnam mereri; & quidem eum in modum ut cauſâ coram Synedrio

nedrio adverſus delinquentem, qui Eccleſiæ membrum intentatâ, conquieſcat interea civile judicium, vel cauſâ pendente coram judice ſeculari, interim ab Eccleſiâ adverſus accuſatum nihil ſit attentandum, antequam à judice ſeculari, cauſæ ventilatæ per ſententiam finis ſit impoſitus? Reſpondeo; Neg. utrumque membrum. Et quidem ratio negationis membri prioris hæc eſt. Quia etiam de jure civili, ſi diſtincta ſint pœnarum genera, toto genere diverſa, una alteri nullum præjudicium inferebat, licet forte judicia invicem eſſent ſubordinata. Ita actio ex L. Aquiliâ civili, quæ ad privati damni reparationem pertinebat, ſi ſervus noſter eſſet occiſus, & quidem dolo malo, non auferebat facultatem agendi criminaliter, propter occiſum hominem ex l. Corneliâ de Sicariis. §. 11. *inſtit. Ad l. Aquil. l.* 23. §. 9. *D. ad l. Aquil.* In tantum etiam, ut ſi Aquiliâ ſit condemnatus, qui ſervum occiderat, res eſſet præ-

judicata, quo facilius ex l. Corneliâ poſſet condemnari. *l.* 4. *D. Publ. judic.* Multo itaque minus judicium Eccleſiaſticum Civili, aut viceverſâ præjudicabit, quod toto genere ſint judicia diſtincta, & non ſubordinata. *Uti enim pœna, ſeu coërcitio Chriſtiana ſpiritualis, neminem eximit judicio civili, & pœna Magiſtratus. Ita etiam præter civilem pœnam, neceſſaria eſt quandoque cenſura eccleſiaſtica;* non ut Politia emendetur, *verum ut ſcandalum è medio Eccleſiæ tollatur.* Eſt *artic.* 71. *Ordin. Eccleſ. de ann.* 1618. 1619. *DD. Juriſc. varii. Gomeſ.* 3. *var.* 1. *Clar.* §. *fin. qu.* 57. *n.* 3. 10. *& ſeqq. Covarr.* 2. *var. reſol.* 10. *n.* 6. *ibidemque alii. Barboſ. collect. ad l.* 10. *Cod. Epiſc. & Cleric. n.* 11. *Zoeſ. D. de pœn. n.* 21.

Unde licet quis à judice ſeculari fuerit punitus, adhuc tamen pœnitentiam coram ſynedrio agere tenebitur, ſiquidem ad communionem menſæ Domini admitti velit. Ibi enim pœna ſumpta à facinoroſo ad exemplum, ad emendationem Politiçam.

liticam. Hic infligenda pœna, ut convertatur anima quæ peccavit, utque Deo reconcilietur.

Neque obſtat quod iniquum videatur, quenquam ob idem delictum duplici puniri pœnâ. 1. Quia non eſt abſurdum de jure civili, ut quis pecuniariâ ex L. Aquilia propter occiſum hominem, & corporali ex L. Corneliâ conveniatur, per ea, quæ paulo ante fuerunt notata. Etiam in facti ſpecie, ſi homo in rixa eſt occiſus, ut ignoretur, quis eum occiderit, omnes ex Aquiliâ tenentur, & nihilominus extra ordinem criminaliter erunt puniendi. *l.* 51. *D. Ad l. Aquil. DD. ibid.* 2. Quia diverſus pœnarum reſpectus diverſus finis, objectum, genus pœnæ diverſum, omnem tollit difficultatem. In conſiſtorio Eccleſiaſtico reſpicitur forum poli, in civili judicio forum ſoli. Ibi ut cum Deo & proximo in gratiam redeat, qui deliquit, ſcandalum è medio tollatur &c. Hic, ut civis Reipublicæ, membrum Politicæ ſocie-

tatis puniatur, quo ſi delictum ſit publicum, publice coërceatur, & pœna ad paucos, metus ad omnes perveniat. Ibi pœna eſt eccleſiaſtica quę corpori nullum adfert damnum, aut homini externo, carnem tamen, id eſt peccatum neci dat. Hic pœna eſt ſecularis, quæ civilem, vel naturalem mortem infligit, aut quem mulctat pœnâ quâ pecuniaria. *Carpzov. Pract. Crimin. p. 2. q. 69. n. 5. 6. & Juriſpr. Conſiſtor. lib. 3. tit. 7. def. 94.*

4. Sequuntur rationes poſterioris membri negati quæ variæ ſunt.

1. Quia uti exceptio litis pendentis proponi non poterit coram judice ſeculari, ſi forte Eccleſię membrum ſubjaceat cenſuræ Eccleſiaſticæ; Ita nec exceptio litis pendentis objici poterit Synedrio Eccleſiaſtico ab eo, qui propter aliquod delictum, coram judice ſeculari conventus fuerat. Neque enim magis cauſa Eccleſiaſticè examinanda ſubjicitur Magiſtratui Politico, quam cauſa

forenſis

forenſis perſonis Eccleſiaſticis. Et quemadmodum non tenetur ſecularis judex eventum cauſę, pendentis coram Synedrio, ſi noverit hominem eſſe adulterum, exſpectare; verum poteſt eundem, non obſtante pendentiâ cauſæ, civitate pellere, & in exilium mittere; ita nec, tenebitur ſenatus Eccleſiaſticus cauſæ cognitione abſtinere donec ea plenè ſit deciſa coram judice ſeculari.

2. Quia aliter coram ſynedrio, aliter coram judice ſeculari cauſa agitanda. Ibi ſine ullo judicii ſtrepitu, levato velo, de plano, non ſervatis præciſe omnibus illis ad probationem facti ſolennibus, modo de jure naturæ & gentium res ſit plana. Hic ordinario modo, prolixâ telâ litis & quidem pro tribunali, rite omnibus obſervatis quæ leges aut ſtatuta, magis de ſolennitate probationum, quam de neceſſitate veritatis adhiberi, deſiderant. Ibi de homine ſpirituali, Eccleſiæ membro emendando; hic de cive, ſive membrum ſit

Eccleſiæ, ſive non externe coërcendo. Ut locus nequeat eſſe regulæ: *ubi ſemel judicium captum eſt, ibi terminari debebit. l. ubi 30. D. de Judic.*

Ratio rationis eſt, quia coram judice ſeculari, cœptum erat judicium civile hominis, ut civis, aut ſubditi delinquentis politicè. Coram Synedrio cauſa illius Eccleſiaſtice examinatur, in quantum eſt Eccleſiæ membrum, & ſcandalum dedit Eccleſiæ, vitâ minus ordinatâ. Ibi poteſtate procedimus ſupremâ, & quidem brachio ſeculari, cum imperio mero, aut mixto conjuncto, aut utroque ſimul, etiam ad ſanguinis effuſionem. Hic poteſtate utimur miniſteriali, à Chriſto immediate dependente, idque ad vitæ ſpiritualis emendationem, animæ correctionem, & ſanguinis Chriſtiani ſuffuſionem. Ibi civis judicatur expellitur civitate, & à judice ſeculari, quandoque ut inutile membrum politiæ cenſetur, qui tamen eapropter non ejicitur eccleſiâ, quaſi illius mem-

membrum infidele. Hic vero Eccleſiæ inutile membrum arcetur, à communione corporis Chriſti, ut tamen maneat incola, & civitatis civis. Ut ibi ſit capitis minutio, quoad dignitates, honores & officia politica &c. Hic omnia maneant integra, & in priſtino ſtatu. Ut cum duæ ſint poteſtates toto genere diſtinctæ, alterius ordinis, ac naturæ nec invicem ullo modo ſubordinatæ, aut ab invicem dependentes, nequeat eſſe locus, exceptioni litis pendentis.

3. Quia ſi invicem obſtarent illæ poteſtates, ut dum Synedrium de cauſa alicujus cognoſcit, Magiſtratus à judicando ſuperſedere debeat, & vice verſâ; ſequeretur judicium alterutrum ſæpe reddi poſſe illuſorium. Forte enim reus ſe ſubmitteret judici ſeculari, ne interea coram Eccleſiaſtico Synedrio conveniretur, vel ſe ſubmitteret eccleſię membrum cenſuræ Eccleſiaſticæ propter aliquod delictum, ut pendente nego-

tio à brachio ſeculari tutus foret.

4. Quia nec ex ſcriptura ſacrâ, aut Catecheſi, aut confeſſione, aut *d. art.* 71. *Ordin. Eccleſ.* erui poterit hæc ſententia, quod coram judice civili crimen primo ſit examinandum probandum, & poſtquam ibi probatum eſt, cauſa demum ad ſenatum Eccleſiaſticum remittenda. Ut qui ſine ſcripturâ, ſine Eccleſiaſtico canone loquitur, non ſit audiendus, argumento deſumpto à JCC. qui ſine lege loqui erubeſcunt. *Nov.* 18. *c.* 5.

5. Quia, qui cenſurâ notatus eſt, aut excommunicatus à Synedrio, non poterit à ſententiâ excommunicationis ad Magiſtratum ſecularem appellare, verum ad Claſſem aut Synodum; à quâ gravamina Eccleſiaſtica, Eccleſiaſtice alicui illata, examinari & reſcindi debebunt, ſi deprehendantur iniqua. *Art.* 30. 31. *d. Ordinat. Eccleſ.* Id quod indicio eſt, cauſam Eccleſiaſticam eſſe toto genere diſtinctam à forenſi, ut cauſa

pen-

pendens coram uno judicio, no excludat pendentiam coram alio. Non aliter atque poteſtas maritalis, & politica publica ſunt diſtinctæ, & dum œconomice maritus exercet illam ſuam poteſtatem, non præjudicat civili publicę, cui ab uxore objici non poteſt exceptio litis domi pendentis, inter ſe, & maritum.

6. Quia ubi poteſt ſenatui Eccleſiaſtico, ſi cauſa pendeat coram judice ſeculari, objici exceptio litis pendentis, ibi etiam poteſt ſenatui Eccleſiaſtico, ſi cauſa ſit terminata judicio civili, objici exceptio rei judicatæ. Probatur connexio: Quia exceptio litis pendentis, & rei judicatæ pari paſſu ambulant. *ad l. ſi quis poſtquam D. de judic. Barboſ. n.* 277. *& auctores ibid. allegati.*

Poſterius autem eſſet abſurdum. Ergo &c. Probatur, quia ſequeretur hoc abſurdum, quod ſenatus Eccleſiaſticus invitus, invitâ conſcientiâ, talem ad cœnam admittere teneretur, qualem innocentem in foro ſoli,

judi-

judicaſſet magiſtratus civilis. Cum tamen aliquem admittendum eſſe, vel non admittendum, dignum, vel indignum declarare, non pendeat à judicio Magiſtratus, ne officii limites egrediatur, ſed à judicio Synedrii, ſeu Eccleſiæ, idque ſubordinatè ad Chriſtum à quo tantum Eccleſia illam poteſtatem nacta eſt miniſterialem, cuique ſoli diſpenſationis nomine, rationem reddere tenetur. *Matth.* 16. & 18. *Argum.* 4. *Catecheſ. Belg.* 82. 83. 84. *cum reſponſionibus. l.* 3. *D. Re judic.* Idque ſuo exemplo probavit Paulus Apoſtolus. 1. *Corinth. c.* 5. *Auditur*, inquit, *inter vos eſſe ſcortatio*; nec exſpectat ſententiam judicis, verum poſtquam illi, etiam extrajudicialiter innotuiſſet, ſententiam excommunicationis ſtrinxit hiſce verbis; *Ego*, inquit, *itaque judicavi*; non Magiſtratus ſecularis. Et in promptu eſt ratio: Cujus eſt ligare, ejus eſt & ſolvere. Et nihilque tam naturale, quam unumquodque eodem modo diſſolvi, quo

liga-

ligatum eſt. §. 3. *inſtit. Quibus modis toll. oblig. l.* 35. D. *Reg. jur. ibique* l. D. Quo facit locus Ambroſii *de fid. lib.* 3. *c.* 6. *Servus aperit, Dominus largitur, Iſte per ſe, Ille per Chriſtum. Famulus claves accipit; Dominus ordinat poteſtates. Aliud jus donantis, aliud diſpenſantis obſequium eſt.* Et Hieron. ſuper *Matth.* 16. *Id juris & officii habent Euangelici ſacerdotes, quod olim ſub lege habebant legales in curandis leproſis.* Scilicet ſacerdos ſuo judicio olim diſcernebat, inter leproſum & mundum. Sic hodie diſcernit Eccleſia, ſitne quiſpiam cenſurâ dignus, aut excommunicatione, eumque tanquam impurum Eccleſiæ membrum removet, non exſpectatâ cognitione, aut juſſu magiſtratus. Quo etiam loco Auguſtinus. *Claves ſunt diſcernendi ſcientia, & potentia, quâ ſacerdos dignos recipere, & indignos excludere debet à regno.* Quibus omnibus adjice diduct. Synodi Friſiæ in ſimili cauſâ apud Cabeljavium, de jure Magiſtratus circa ſacra. Ex quibus omnibus evidenter colli-

colligitur, hanc poteſtatem excommunicandi, tanquam proprium quarto modo, ſoli Synedrio competere Eccleſiaſtico, ut nihil juris hic ſibi vindicare valeat Magiſtratus Politicus, niſi in expreſſa jura divina, & humana impingere velit, adeoque limites notiſſimos ſuæ juriſdictionis excedere.

7. Nec obſtat. 1. Senatus quidem Eccleſiaſticus, delictorum aut criminum nomine, membrum Eccleſiæ cenſurâ notabit, aut excommunicatione feriet, ſed tum demum cum juridicè conſtiterit, id eſt, coram judice ſeculari probatum fuerit, crimen eſſe commiſſum. Verum Reſpondeo, abſurdiſſimum hoc ipſum fore, ſi ſenatus Eccleſiaſticus haberet poteſtatem excommunicandi, id eſt, pœnam imponendi Eccleſiaſticam, & tamen non haberet illarum cauſarum Eccleſiaſticarum cognitionem Eccleſiaſticam. Certe ſi juriſdictio, qualiſcunque illa ſit, non ſine notione, id eſt cau-

ſæ

ſæ cognitione eſſe poteſt, quod ſpecies in ſe contineat genus, id eſt naturæ generis ſit particeps. *l.* 5. *D. de rejudic. l.* 99. *D. verbor. Signif.* Non etiam ſenatus Eccleſiaſticus habere poterit excommunicandi poteſtatem, niſi antecedenter habeat cognoſcendi facultatem. Neque enim ſalvator conceſſit Eccleſiæ jus clavium, ſine præviâ cognitione. *Matth c.* 18. Cum qui dat conſequens, etiam det antecedens, ſine quo conſequens eſſe non poteſt. *Arg. l.* 76. *D. Acquir. hæred. §.* 1. *Inſtit. Quibus. ex cauſ. Manum.* Et uno conceſſo, cenſetur alterum conceſſum, ſine quo unum expediri non poterat. *l. fin. § fin. D. offic. ejus, cui mandat. juriſd. l.* 2. *D. Juriſd.*

Neque obſtat. 2. Quod hæc ſit infractio quæpiam juriſdictionis, ſi, dum cognoſcit judex de crimine, reum criminis conveniat Conſiſtorium Eccleſiaſticum. Reſpond. enim. Non poteſt alicujus infringi juriſdictio, niſi quando aliquis uti-

tur

tur ea juriſdictione, qua uſus eſt, qui conqueritur ſuam violari juriſdictionem. Verum Eccleſia nunquam uſa eſt tali genere juriſdictionis, quali ſecularis utitur. Quinimo utraque juriſdictio & civilis, & Eccleſiaſtica invicem comitari poterunt, & ſimul conſiſtere, etiam conſpirare. *d. art. 71. ordin. Eccleſ.* Ut metus ille infringendæ alterius juriſdictionis ſit vanus, & potius terriculamentum aliquod, quod curandum non eſt, non magis, quam ſi ſcrupulum Magiſtratui injiceret Eccleſiaſticus, ne in Eccleſiæ membrum animadverteret, etſi crimen politicè vindicandum commiſiſſet, idque ex illo *Carpzov. lib. 3. tit. 7. def. 94. juriſpr. Conſiſtor. Prudens judex ſcrupulum nequaquam hunc ſibi patiatur moveri, probè gnarus diſciplinam ſeu cenſuram Eccleſiaſticam, non confundere juriſdictionem, & poteſtatem ſecularem; nec quicquam detrahere imperio Magiſtratus, qui alias legitimis pœnis coërcere debet & poteſt delinquentes. l. ſacroſancta, Cod. de ſacroſ.*

croſ. Eccleſ. Arg. l. ſi inter D. Except. Rej. judic. l. Mutuis. D. Pro Soc. l. 1. Cod. furt.

Concludam hunc libellum voto, à magno Cujacio in fin. novellarum mutuato: *Te ſanctè Deus veneror, tibique gratias ago, uni, ſoli, omnipotenti, veniam petens, ut velis, quamdiu voles eſſe me in hâc ærumnarum valle ſtudia, quæ feciſti mea fortunare pariter, ne quis mihi malus, ea turbaſſit malè, per Jeſum Chriſtum Dominum meum. Amen.*

INDEX CAPITUM, ET SECTIONUM.

CAPUT PRIMUM

Sectio Prima.

1. Religio omnibus ingenita.
2. Jura ſacrorum publica negliguntur.
3. Sacer Codex omnium norma.
4. Methodus authoris proponitur.

Cap. I. Sect. II.

1. Principi nullo jure poteſtas abſoluta eſt conceſſa.
2. Princeps & legibus naturæ, & gentium, & quibuſdam civilibus eſt obſtrictus.
3. A quibuſdam tamen legibus eſt immunis.
4. Removentur objectiones.

Cap.

Cap. I. Sect. III.

1. *Principi per omnia parendum non eſt.*
2. *Non facile Principi reſiſtendum.*
3. *Princeps in conſcientiæ caſubus, aut fidei articulis determinandis, audiendus non eſt.*
4. *Princeps non facit ſuâ conſtitutione licitum, quod aliter eſt illicitum.*
5. *Quid Principi circa ſacra conceſſum?*
6. *Quid circa hæreticos?*
7. *Hæreticos ad fidem amplectendam non coget Princeps.*
8. *De fide non ſemper eſt diſputandum.*
9. *Pernicioſorum librorum lectio prohibita.*
10. *Ad convincendos homines, diſputationes de religione non ſunt prohibitæ.*
11. *Princeps non eligit Eccleſiæ miniſtrum.*
12. *Nec deponit aut ab officio removet.*
13. *Ne quidem ſine cauſâ juſtâ adimit, quod dedit; cujuſque conferendi habuit facultatem.*

CAPUT SECUNDUM

Sectio Prima.

1. *Quanam contemplatione pia cauſæ relicta dicantur?*
2. *Recte aliquid relinqui cauſa piæ probatur.*
3. *Ejus adminiſtratio Eccleſiaſticis poteſt competere.*
4. *Pauperibus relicta, non ſunt relicta perſonis incertis.*
5. *Valent etiam, quæ teſtamento imperfecto, piæ cauſæ ſunt relicta.*
6. *Relicta Clericis, aut pauperibus, non perſonæ, ſed Collegio relicta cenſentur.*
7. *Idem, quod dicendum, ſi Præſidi Collegii aliquid ſit relictum, adhibitâ tamen diſtinctione.*
8. *Quod relictum propter exercitium, illo ceſſante non debetur.*
9. *Quæ Deo relicta, varium ſunt generum.*
10. *Et vel mobilia, vel immobilia.*
11. *Temporalia ab Eccleſia poſſideri poterunt.*

12. O-

12. *Omnia Eccleſiæ debita, licet citra neceſſitatem, id eſt, ad abundantiam eſſent relicta.*

13. *Nec ea ſunt Principis, aut alicujus privati, jure proprietatis.*

14. *Objectiones removentur.*

15. *Nihil intereſt, quomodo aliquid ſit relictum Eccleſiæ.*

16. *Nec poterit, quod relictum piæ cauſæ, in uſus privatorum, citra neceſſitatem transferri.*

17. *In uſus tamen analogos, & pariles verti poterunt.*

18. *Neque enim conditio fini appoſita præciſe eſt adimplenda.*

19. *Etiam aliquo caſu, bona Eccleſiæ ad uſus non pios transferuntur.*

20. *Etiam quandoque divendi poterunt.*

21. *Et quidem ad inſtar bonorum minoris.*

22. *Quod quibus modis, & caſubus accidat, explicatur.*

23. *Ut tamen ordo ſit ſervandus.*

Cap. II. Sect. II.

1. *Valent relicta, licet vitioſa conditio ſit adjecta.*

 2. Ob-

2. *Objectiones removentur.*
3. *Sublato abuſu, maneat rectus bonorum uſus.*
4. *Relictum ſub conditione licitâ, ni impleatur, hæredibus erit reſtituendum, ſi eâ lege ſit relictum.*
5. *Relictum hæreticis, orthodoxa eccleſiæ applicandum.*
6. *Objectiones removentur.*
7. *Quid ſi artibus aut fallaciis hæreticorum, inducti ſint teſtatores, ut aliquid iiſdem relinquant?* Diſt.
8. *Quid ſi, cum liberos non haberet teſtator, omnia ſua relinquat Eccleſiæ, an propter ſuper venientiam liberorum ea revocabuntur?* Diſt.
9. *An quæ ſacra bello capta, prophanari debebunt?* Neg.
10. *Quæ privilegia bonorum, & perſonarum Eccleſiæ inſervientium?*

CAPUT TERTIUM

SECTIO PRIMA.

1. EPiſcopi, ſeu Paſtores eliguntur ab Eccleſiâ.

2. *Sine prece, aut pretio, aut artibus malis.*
3. *Eliguntur, qui juſtam habent ætatem.*
4. *Liberi non ſervi.*
5. *Originarii, cæteris paribus, aliter aptiſſimi, & honeſtiore loco nati.*
6. *Morati, Eruditi litterarum &c. irreprehenſibiles.*

Cap. III. Sect. II.

1. *Cura Epiſcoporum commiſſa ſcholarum inſpectio, aliaque plura.*
2. *A negotiis, ſecularibus oportet illos eſſe ſemotos.*
3. *Non conveniunt ſatis civile & eccleſiaſticum munus.*
4. *Officium Epiſcoporum, viſitatio ægrotorum.*
5. *Correctio peccatorum.*
6. *Ubi modus ſervandus.*
7. *Nec propter reprehenſionem, in miniſtros, injuriarum, actio intentanda.*

Cap. III. Sect. III.

1. *Eccleſiaſtica Poteſtas ſolius eſt Eccleſiæ, & duplex.*
2. *Ea omnium miniſtrorum eſt æqualis, ſine ulla prærogativâ.*
3. *In quo conſiſtat poteſtas regiminis?*
4. *In quo conſiſtat poteſtas, exercendi juriſdictionem ſpiritualem?*
5. *In omnes ea exercenda.*
6. *Pœnarum Eccleſiaſticarum gradus.*

Cap. III. Sect. IV.

1. *Eccleſiæ miniſter non tenetur propriis militare ſtipendiis.*
2. *Magiſtratus aſſignat ſtipendium, vel eccleſia.*
3. *Defuncto miniſtro, intra tempus, ſalarium reſidui temporis, hæredibus debetur.*

Cap. III. Sect. V. & ult.

1. *Utrum Epiſcopi habuerint juriſdictionem?*

2. *In quibus cauſis Eccleſiaſtici ſubſint ſecularibus?*
3. *Utrum per cenſuram Eccleſiaſticam, judicio ſeculari fiat prajudicium?*
4. *Utrum exceptioni litis pendentis ſit locus, delicto coram ſeculari judice intentato, in ordine ad Synedrium, ſeu conſiſtorium?*
5. *Removentur objectiones.*

FINIS

TY-

TYPOGR. LECTORI.

Quæ per injuriam illapſa ſunt errata, ex ſequentibus; cætera quę leviora, ſponte eximes.

P. 8. lin. 15 pen. poſt *æquitatem*, pon. hypocolon. p. 33. lin. 15. poſt. *ſubjectos fuiſſe*. adde, *cujus ſunt pars Princeps*. p. 42. lin. 5. fit. lege. *ſit* p. 47. lin. 13. leg. *in minimis*. p. 50. lin. 4. *audition*. leg. *addition*. d. p. lin. 14. *cuique* leg. *cui*. p. 69. lin. 23. leg. *Rectores*. p. 70. lin. 21. leg. *ignavi*. p. 76. lin. 21. *eſt*. leg. *eſſe*. ead. lin. *ſe* dele. p. 78. lin. 16. *citra* leg. *circa*. p. 106. lin. *locis*. leg. *locus* p. 112: lin. 12. leg. *conciliabulis*. p. 119. lin. 8. leg. *publicè*. p. 136. lin. 7. vocem *indignum*, colloca poſt *prabuerit*. p. 150. lin. pen. lege *ſeſe* p. 192. lin. 17. lege. *ne ille*. p. 203. lin. 18. lege. *conditionem*. p. 219. lin. 8. leg. applicatæ. p. 220. lin. 13. leg. *Chriſtianorum*. p. 238. lin. 2. lege. *gigantum*. p. 253. lin. 14. lege. *exitu*. p. 260. lin. 4. dele. *dum*. p. 267. lin. 3. leg. *necare*. lin. 17. leg. *qua*. lin. 20. leg. *viva*. p. 268. lin. 7. *ſive*. lege, *an*. p. 274. lin. 10. lege, *ducentos*. & lin. 11. lege, *unam*. p. 280. lin. 1. lege, *viam*. p. 320. lin. 3. leg. *Lyconem*. p. 346. lin. 13. leg. *abyſſum*. p. 351. lin. 16. poſt. *ei*, ſupple miniſtro, adde *miniſterialiter*. p. 358. lin. 4. l. *pietatis*. p. 360. lin. 3. leg. *pœnâ* p. 360. lin. 24. l. *eundem*. p. 361. lin. fin. l. *prophetis*. p. 363. lin. 12. l. *promoveatur*. p. 373. lin. 13. l. *principem*, p. 378. lin. 6. l. *ilia*.

Digitized by Google